DE PULSIBUS ac URINIS FASCICULUS INDICATORIUS,

Omni perutilis, qui se *Medicinae* dicat:

five,

MEMORIALE,

h. e.

SUCCINCTI CANONES PRACTICI,

ad *Praxin Medicam* facilitandam, Collecti sibi, atque aliis conscripti,

a

CONRADO ZUMBAG
DE KOESFELT,
Med. Doct., Polyatr. Lugd.Bat., atque ibidem Colleg. Med. ad res Obstetr. ac Chirurg. Assess., Soc. Reg. Boruss. Sodali.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud GERARDUM POTVLIET
Anno 1741.

VIRIS

Clarissimis, Celeberrimis atque Experientissimis,

ACADEMIAE

Lugduno - Batavae,

Luminaribus Fulgentissimis,

D. HERMANNO OOSTERDYK SCHACHT,
A. L. M. Phil. & Med. Doctori, Medicinae Theoreticae & Practicae, atque Collegii Practici Professori; Colleg. Theol. Illustr. & Praepot. D.D. Ordin. Holl. & Westfris., quod Leidae est, Med. Ordin.; Colleg. Pharmaceut. Praesidi &c.

D. BERNHARDO SIEGFRIED ALBINO,

Med. Doctori; Anatomiae atque Chirurgiae Professori, Colleg. Chirurg. ac Med. ad res Obstetr. Praesidi &c.

D. ADRIANO VAN ROYEN,

Med. Doctori; ejusdemque Botanices & Collegii Practici Professori; Societ. Londin. socio &c.

D. HIERONYMO DAVIDI GAUBIO,

Med. Doctori; Medicinae ac Chemiae Professori &c.

Fautoribus meis Honoratissimis, in Arte Phoebea Consummatissimis, Felicissimis, Dignissimis, hasce paginulas Practicas, seque venerabundus D. D. D.

Author.

CAN-

CANDIDO LECTORI

Salutem.

Quamquam parvo in hoc faſciculo, exarata inveniuntur, rudi Minerva, praecepta, quibus magna volumina onerare, fas eſſet: veruntamen omnis dabit, neceſſe eſt, arti, atque memoriae labili, heu nimium! ſuccurrendum eſſe ſemper, quantum fieri poſſibile, in hoc oceano opinionum; parvo hoc melius fiet volumine.

*Fateor oportet, librorum scri-
bendorum nullus est finis; hic exi-
guus, aspectu novus vero, prodit
iterum codex: concedo novi sub
Sole esse nihil, mihique nova scri-
bere, neutiquam assumo.*

*Disposui, elegi atque collegi,
quantum in me fuit, necessaria*
Praxi clinicae; *memoriae mandan-
da, ea mihi accommodavi: nec
inutilis hic labor fuit, redundavit
potius in me & mihi commissis; at-
que commode cum hisce me habui.
Itaque in exili spatio, multa com-
prehendere, me conatum fuisse,
lubens fateor & spero.*

*Verum enim vero, maximi mo-
liminis, tractatu vero lubrica, cum*

ſit haec materia : ratus autem, Publico inſervire, intentum eſſe debere, unumquemque hominem ac civem ; non abs re fore, nec in malam interpretatum iri partem, confiſus, hocce compendium publici juris facere. Perutile mihi fuit ſemper, plurimis tale futurum, avide optarem.

Facile videbit, perlegendo, aequus Lector, me ſantem hic non fuiſſe, de ulla Theoria *vel* Inſtitutione *medica : me ſolum propoſuiſſe* Practicae generalia, *ſcitu ſumme neceſſaria ; atque ea, quae Medici,* Praxin, *quantum in iis eſt, cum ſucceſſu, ſummo Medico duce, exercere volentes, ſibi infixa & praeſentia habere debent.*

Similiter, conſummatis in hac deſiderabili arte Apollinea, haec ſcripta nolo, ſed excolendis, conſummandisque natis Medicorum. Ac forte proficuum futurum iis, qui utiliſſimas doctiſſimasque inſtructiones Noſocomii (cui per plurimos annos medicatus fui) frequentant.

Quae cum ita ſint, non habeat quis, rogo, quod de pagellarum anguſtiis conqueratur. Charta pura (quod idem feci) mixtae paginae, admittent uniuscujusque facilem ac doctam auxeſin. Nec minus, additis ſub fine, Medicamentorum *officinalium armamentario, & quam breviſſime,* Viribus *&* Doſibus, *exſurget compendium,* Praxi *quotidianae adaptandum ſatis,*

tis, atque memoriae accommodatum.

Morborum Idea, Diagnoſis, Prognoſis, & *ſexcenta alia, hic praeſupponuntur; uſus & applicatio* Medicaminum *ſubintelligitur.*

Pauca ſolummodo nominavi Medicamenta, *in his, Auguſtana & aliis pharmacopoeis reperienda: nullas propoſui* Formulas *ab unoquoque, pro re nata, componendas.*

Pauca AEtiologica *adduntur: plurima alibi petenda, inſtituto noſtro haud idonea, omittuntur, brevitatis ſtudio.*

Quae observarunt antiqui & hodierni Doctores, Medicis operam dantes (ob innumerabilem nominum seriem, silentio hic praetereundi) inter quos Pater & Praeceptores mei, atque ipse ego, breviter proponere, ac interconciliare conatus fui.

Qua de re, exiguo includere spatio, quod plurimis libris continetur, & sic reminiscentiae multa dare, allaboravi.

Hoc vero opus, hic labor est. Quid ergo? nullus codex scriptus fere, quin bonum & utile aliquod contineat: ast, proh dolor! maximum quandoque ac prolixissimum volumen, vix paginam veritatis,

realitatis & utilitatis continet. O utinam, paucis, multa ſalutaria dicerem, atque omnes hae paginulae, demptis adhucdum ſuperfluis, verae, reales, ac utiles eſſent! Intentio eſt: periculum feci. Immo, in magnis quandoque voluiſſe ſat eſt.

Tandem, ſi arrideat labor hic meus, nec inutilis Tibi videtur B. L., plura, quae adhucdum absque ordine diſperſa, in Medicis, Mathematicis, *ac* Philoſophicis, *a me elaborata habentur, ſi Deus det vires, ordinare, ac Tecum communicare, non deero. Interim fruere his, cum benevolentia ſolita, ex animo, atque benigniter corrigas & condones errata, ſubmiſ-*

misse peto: omnium namque habere memoriam & penitus in nullis errare, divinitatis, non mortalitatis est. Vale.





SYNOPSIS

atque

IDEA GENERALIS

OPERIS.


III.

EPI-

EPILOGUS. pagina 135

Cum hic liber ubique index ſit, ſpecialiorem apponere, abs re fore arbitror.





ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗΣ

GENERALIA

Praxi maxime inſervientia.

PROLOGUS.

Medicus medendo occupatus, explorabit ſtatim, naturam PULSUS, ceu obvium & primum ſignum *Pathognoſticum*, externe atque facile cognoſcendum. *Excretorum* vero, nullum univerſalius suppeditabit, *Morbi* & *Humorum* plerumque conditionem internam, mechanicae noſtrae molis, quam UROSCOPIUM. Quae cum ita ſint, haec duo pertracta-

re, brevibus, ordine alphabetico, animus eſt.

Certiorem viam, ad *Diagnoſin* & *Prognoſin* formandam, cum plurimi acclament, meliorem nullam inveniri; hinc eam non poſſe ſatis inculcari, expertus, dicam, neceſſe eſt.

Ut veruntamen completum aliquo modo opus exhibeatur, ratus, THERAPEUTICA quaedam eſſe nectenda; ea, paucis, capite tertio ſubjungam.

Tripartitum ſic, totum opus proponitur. In hoc maxime nitendum, ea advocare, quae maximi momenti, ac in arte practica, principalia cenſentur eſſe non ſolum, ſed revera ſunt: nec laudare ea, quae diverſa opinione hinc inde trahuntur, atque varia aegri ſomnia adducere, ſed probatis authoribus, & quod ſummum eſt, ipſa indubitata atque fida experientia, compertum ſemper.


De his judex legitimus eſt: qui non peſſundedit, Theoriam, huic operi & praxi neceſſario praeſuppoſitam, medi-

dicam; nec ſolum eam, ſed abundare & inſtructus is eſſe debet, ſcientiis praerequiſitis.

Intelligendum, hic vero, quid PULSUS, quid URINA ſatagunt: ac ne quis aeger medendo magis aegreſcat, indicatum ponitur Capite III. de UNIVERSALIUM USU, ſancitumque ſibi habere iſta, Medicus debet.

Ex his tribus, infelix oportet ſit in ſanando, qui omittit, conſiderando, unum; niſi ſagax natura, cui, abſque Medico, potiora debemus, ſuccurrat. Omni ſanna vero dignus hic habendus, qui, quanquam prudentiſſimus ac accuratiſſimus in praefatis obſervator, ſibi honos deberi, ſanando, putat: Natura namque Medicus, Medicus miniſter tantum.

Conferre pedem, ad ordine plerumque primum, in inquirendo & faciendo, ad PULSUUM DIAGNOSIN nempe, jubeor.



CAPUT I.
DE
PULSIBUS.



PARS I.
PULSUUM.

Diagnosis specialis, ex singulis morbis in specie desumpta.

ABORTUS. Palpitatio cordis utplurimum; adsunt rigores & horrores; nec minus, subitaneae *Phlogoses* reciproce, atque tremores.

ANGINA. *PULSUS* tensione quadam praepeditus est & convulso similis; magnus & undosus, ut *PULSUS Peripneumonicorum*: quicunque vehementer ex illis suffocantur, habent parvum & rarum; ubi jam vitam agunt, crebrum & inaequalem.

APOPLEXIA. *PULSUS* quandoque eſt inaequalis intermittens, magnus & languidus, quamvis nonnunquam & celer.

ARTHRITIS. *PULSUS* plerumque frequentior & minor, aliquando major; inconſtans vero.

ASCITES. Eſt parvus crebrior ſubdurus *PULSUS*, cum quadam tenſione.

CACHEXIA. *PULSUS* ſunt inaequales, parvi, frequentes & debiles; palpitatio cordis, corpore in altum ſublato.

CARDIALGIA. *Syncope* aliquando ſupervenit; inconſtans.

CHLOROSIS. Quandoque celer & frequens *PULSUS*; palpitatio cordis, corpore exagitato: ſic *PULSUS* in arteriis temporum; ut & inaequalis, & varius.

CHOLERA. *PULSUS* non raro parvus & inaequalis. Nec minus, eſt frequens & parvus, quem ſequitur intermittens. *PULSUS* debilis, & palpitatio cordis &c. Mortem mi-

nantur. *Celer*, frequens interdum & parvus, animi deliquia.

EPHIALTES. Cordis tremor, poſt expergefactionem perſeverans, malus admodum.

FEBRIS *in genere*. *PULSUS* celerior, & utplurimum ſimul etiam frequentior. *PULSUS* debilis dubii eventus, praeſertim, ſi ſimul intermittens: *PULSUS* magnus & aequalis, cum ſymptomatum ingraveſcentia & pravitate, melior eſt & tutior, quam debilis, cum ſymptomatibus mitioribus, hic enim ſaepe funeſtus. Major & vehemens, boni, e contra parvus ac debilis, mali: durus malus, ſaepe Convulſionum & Deliriorum prodromus; mollis ſemper bonus, & undoſus, imminentis ſudoris nuncius.

FEBRIS CONTINUA ARDENS. *PULSUS* debilis, dubii eventus praenuncius.

HECTICA *ſimplex*. *PULSUS* parvus frequens & celer. Frequens & celer & in dies minor. *PULSUS* celer,

ler, frequens, parvus, debilis, durus.

LENTA *primaria.* *PULSUS* continuo frequens, celer, magnitudine & vehementia moderatus, ad parvitatem tamen declinans.

QUARTANA CONTINUA. Tardus initio *PULSUS* atque rarus; poſt validior, crebrior, valde inaequalis.

QUOTIDIANA CONTINUA. *PULSUS* rarior: ſic tardior & minor.

TERTIANA CONTINUA. *PULSUS* valde & frequens & velox.

SYNOCHUS SIMPLEX. *PULSUS* magnus, aequalis, frequens, plenus. *PULSUS* celer & frequens, aliquando validus & magnus, non tamen inaequalis, aut inordinatus.

SYNOCHUS *putrida.* *PULSUS* non ſolum magnus & frequens, ac non raro inaequalis, ſed *ſyſtole* etiam velocior *diaſtole.*

FEBRIS INTERMITTENS.

QUARTANA. *PULSUS* rarior & tardior, quam in reliquis febribus;

PULSUS primitus frequentior, & ſemper debilis.

QUOTIDIANA. *PULSUS* parvus, rarus ac tardior.

FEBRIS MALIGNA & PESTILENTIALIS. *PULSUS* in principio quandoque naturali ſimilis, in progreſſu, & augmento morbi, frequens parvus, debilis & inaequalis. *PULSUS* inordinatus inaequalis & contractus, praeſertim ſi a principio debilis appareat. *PULSUS*, ſanorum *PULSIBUS* ſimiles, admodum periculoſi. *PULSUS* in magnitudine conſtans & aequalis, bonae ſpei; ſin & inordinatus, inaequalis, periculum portendit, praeſertim ſi ab initio talis. *PULSUS*, initio ſaepe naturali pulſui ſimilis, vel non multum diſcrepans, ſubito tamen debilis ac parvus reddi ſolet. Interdum mox initio *PULSUS* eſt frequens, debilis, parvus, ac invaleſcente morbo, multis modis inaequalis.

In genere, ubi in *Febre*, quae plus minuſve ardentem ſimulat, *PULSUS*

SUS eſt parvus, ibi certo colligendum, ſubeſſe malignitatem: qui magis aequalis eſt *PULSUS*, & conſuetum eundem ſervat tenorem, eo melius: inordinatus vero inaequalis, & quaſi contractus, periculoſus, praeſertim in principio. Imprimis vero, quo major eſt *PULSUS*, eo melior; quo minor, eo deterior.

FLUOR ALBUS *Mulierum*. Cordis palpitatio.

FUROR UTERINUS. *PULSUS* facilis mutatio. Parvus, debilis, tardior, frequentior vero in cogitationibus venereis.

HYDROPS. *PULSUS* eſt parvus, crebrior, ſubdurus, cum quadam tenſione.

HYPOCHONDRIACUS AFFECTUS. *PULSATIO* in ſiniſtro hypochondrio aliquando percipitur, nonnunquam cordis palpitatio.

PULSUS interdum rarus, tardus aliquando, ſic frequens & fortis cordis palpitatio.

PULSATIONES circa regionem hy-

 pochon-

pochondriorum, imprimis circa lumbos & regionem lumborum ſuperiorem, cordis palpitatio.

HYSTERICA PASSIO. *PULSUS* interceptio, quandoque intermittens, interdum *Syncope*; quandoque extra paroxyſmum, cordis palpitatio. In ipſo paroxyſmo, pulſus imminuitur, quandoque aboletur. In hypochondrio utroque, praeſertim ſiniſtro, aliquando percipitur *PULSATIO*. Item, ſenſim imminutus, aut abolitus.

LETHARGUS. *PULSUS* frequentes & magni.

LIPOTHYMIA: fere ut in *Syncope*. *PULSUS* frequenter ac ſubito mutatur, dum imminet; præſente jam, *PULSUS* rariſſimus formicans, obſcurus, tandemque abolitus. *PULSUS* interdum nullus, ſaepius rarus, obſcurus & quaſi abolitus plane. Minor & debilis, in morbo.

MANIA. *PULSUS* magnus, velox & vehemens, ſignum proclivitatis ad maniam.

MORBILLI vide *Variolae*.

PA-

PARALYSIS. *PVLSUS* in malo consumato languidus, tardus, parvus, quandoque nullus. *Febris* tremorve superveniens, vulgo bona censetur.

PHRENITIS. *PULSUS* parvus, durus, celer & frequens, nonnihil undosus. Sic celer frequens & magnus.

PHTHISIS. *PULSUS* frequentior & debilior, post pastum celerior. *PULSUS* rarus, debilis, cum respiratione difficili, & tussi vehementi, Vitam in periculo esse testantur. *PULSUS* semper celer, frequens, plus minusve parvus, observari solet in hoc morbo.

PLEURITIS. *PULSUS* durus & serratilis. Parvus frequens & valde durus *PULSUS*, lethale signum. Sic, *PULSUS* frequens, celerrimus, etiam mollis, inaequalis, intermittens, aut recurrens aut bipulsans: parvus vero, crebrior, durus atque serratus, Mortem praenuntiat. In *Pleuritide* ac in *Pleuropneumonia* vel *Peripneumonia* *PULSUS* frequens, celer,

ler, magnitudine plus minus moderatus; in progreſſu parvus. In *Pleuritide*, ſpecialiter durus & ſerratilis, vel *Peripneumonia*.

PLEUROPNEUMONIA. *PULSUS* magnus, languidus, mollis, ſubinde aequaliter durus, inaequalis; interdum vero intermittens, intercurrens, undoſus, vermicularis.

SCORBUTUS. *PULSUS* ſaepe ſiniſtri hypochondrii, palpitatio cordis. Caeterum *PULSUS* varius, nunc debilis & inaequalis, ac fere formicans; nunc magnus & durus, abſque inflammationis ſigno; imminente animi diliquio ſaepe, aliiſque anguſtiis, *PULSUS* major ac fortior. *PULSUS* in *Hypochondriacis* quandoque intermittit, in *Scorbuticis* vero, inprimis ut ſic, admodum varius, ſubinde parvus ac debilis, ut aeger omni momento, quoad *PULSUM*, videatur exſpiraturus; ſed ſi non alia ſymptomata adſint? non terreatur Medicus.

SYNCOPE vide *Lipothymia*. *PULSUS* mox abolitus.

VA-

VARIOLAE & *Morbilli.* *PULSATIONIS* ſenſus, in fronte & tempore. *PULSUS* citatior, qui ſaepe in arteriis temporum obſervatur, nonnunquam cordis palpitatio. Sic *PULSUS* celer, frequens, vehemens, durus, plus minus magnus, vel parvus, *PULSATIO* item, in dorſi ſpina & ſimilia.

Pauca haec, de *PULSUUM ſpeciali Diagnoſi* ſufficiunt: principaliora haec memoriae mandari facili negotio poſſunt; atque inde, ceu promus condus, plurima elicire, fidelis Naturae obſervator Medicus, capax erit; gaudet enim haec maxima ſimplicitate: eſt hoc praeclarum munus ipſius Naturae, imitandum ſi poſſit!



PARS



PARS II.

PULSUUM.

Diagnosis generalis, a Tactu & Sensatione.

ABOLITUS. vide *LIPOTHYMIA, PARALYSIS, SYNCOPE.*

AEQUALIS. vide *FEBRIS maligna, Synochus.*

BIPULSANS. vide *PLEURITIS.*

CELER. v. *APOPLEXIA. CHLOROSIS. CHOLERA. FEBRIS ardens. SYNOCHUS. HECTICA lenta. HYDROPS. MANIA. MORBILLI. PLEURITIS. PHTHISIS. VARIOLAE.*

CONTRACTUS. v. *FEBRIS maligna.*

CREBER. v. *ANGINA. ASCITES. QUARTANA continua. MANIA. PLEURITIS.*

DE-

DEBILIS. v. *CACHEXIA. CHOLERA. FEBRIS ardens, Hectica, Quartana, Intermittens, Maligna. FUROR uterinus. LIPOTHYMIA. PHTHISIS. SCORBUTUS.*

DURUS. v. *ASCITES. FEBRIS. HECTICA. HYDROPS. MORBILLI. PHRENITIS. PLEURITIS. PERIPNEUMONIA. SCORBUTUS. VARIOLAE.*

FORMICANS. v. *LIPOTHYMIA. SCORBUTUS.*

FORTIS. v. *HYPOCHONDRIACUS affectus. SCORBUTUS.*

FREQUENS. v. *ARTHRITIS. CACHEXIA. CHLOROSIS. CHOLERA. FEBRIS, Synochus ſimplex & putrida, Ardens, Hectica, Lenta, Continua, Maligna, Quartana, Intermittens. FUROR UTERINUS. HYPOCHONDRIACUS affectus. LETHARGUS. MANIA. MORBILLI. PLEURITIS. PHTHISIS. VARIOLAE.*

FRONTIS *Pulſationes*, in *VARIOLIS* & *MORBILLIS.*

HY-

HYPOCHONDRII ſiniſtri *Pulſatio*, in *paſſione HYPOCHONDRIACA. SCORBUTO.*

INAEQUALES. v. *ANGINA. APOPLEXIA. CACHEXIA. CHLOROSIS. CHOLERA. FEBRIS. Synochus putrida. Quartana, Continua, Maligna. PLEURITIS. PERIPNEUMONIA. SCORBUTUS.*

IMMINUTUS in *HYSTERICA paſſione.*

INORDINATUS. v. *FEBRIS maligna.*

INTERCEPTUS, in *HYSTERICA paſſione.*

INTERMITTENS. v. *APOPLEXIA. CHOLERA. FEBRIS. HYSTERICA paſſio. PLEURITIS. PLEUROPNEUMONIA* vel *PERIPNEUMONIA.*

LANGUIDUS. v. *APOPLEXIA. FEBRIS. Quartana continua. PARALYSIS. PERIPNEUMONIA.*

LUMBORUM *Pulſatio*, in *HYPOCHONDRIACO affectu.*

MA-

MAGNUS. v. *ANGINA. APOPLEXIA. ARTHRITIS. FEBRIS, Synochus simpl. & Putr., maligna. LETHARGUS. MANIA. PHRENITIS. PERIPNEUMONIA SCORBUTUS.*

MODERATUS. v. *PLEURITIS. FEBRIS Lenta. Synochus. MORBILLI. VARIOLAE.*

MINOR. v. *ARTHRITIS. FEBRIS, Quotidiana continua, maligna. LIPOTHYMIA*

MOLLIS. v. *FEBRIS. PLEURITIS. PLEUROPNEUMONIA.*

MUTATIO *frequens.* v. *FUROR UTERINUS. LIPOTHYMIA.*

NATURALI *similis.* v. *FEBRIS maligna.*

OBSCURUS in *LIPOTHYMIA.*

PALPITATIO *cordis.* v. *ABORTUS. CACHEXIA. CHLOROSIS. CHOLERA. FLUOR ALBUS. HYPOCHONDRIACA passio;* item *HYSTERICA. SCORBUTUS. VARIOLAE* & *MORBILLI.*

PARVUS. v. *ANGINA. ASCITES. CACHEXIA. CHOLERA. FEBRIS, Hectica, Lenta, Continua, Quotidiana, Intermittens, Maligna. FUROR UTERINUS. HYDROPS. PARALYSIS. PHRENITIS. PLEURITIS. PHTHISIS. SCORBUTUS.*

PLENUS. v. *SYNOCHUS simplex.*

RARUS. v. *ANGINA. FEBRIS Quotidiana continua, Quartana continua; Quotidiana & Quartana intermittens. HYPOCHONDRIACUS affectus. LIPOTHYMIA. PHTHISIS.*

RECURRENS. vide *PLEURITIS. PERIPNEUMONIA.*

SERRATILIS. v. *PLEURITIS.*

SPINAE *Pulsatio*, in *VARIOLIS* & *MORBILLIS.*

SYNCOPE. v. *CARDIALGIA. CHOLERA. HYSTERICA passio-*

SYSTOLE *velocior Diastole*, in *FEBRIBUS putridis continuis.*

TARDUS. v. *FEBRIS Quotidiana continua, Quartana continua, Quotidia-*

diana & *Quartana intermittens. FUROR uterinus. HYPOCHONDRIACUS affectus. PARALYSIS.*

TEMPORUM *Pulsationes* in *VARIOLIS & MORBILLIS.*

TENSIONE *quadam praepeditus.* v. *ANGINA. ASCITES. HYDROPS.*

TREMOR *Cordis.* v. *EPHIALTES. PARALYSIS.*

VERMICULARIS in *PERIPNEUMONIA.*

VARIUS. v. *CHLOROSIS. FUROR uterinus. SCORBUTUS.*

VALIDUS. v. *SYNOCHUS simplex. FEBRIS Quartana continua.*


VEHEMENS. v. *FEBRIS Synochus. MANIA. MORBILLI & VARIOLAE.*

UNDOSUS. v. *ANGINA. FEBRIS. PHRENITIS. PERIPNEUMONIA.*

Hae generales proprietates, tactu obſervabiles, diagnoſi & prognoſi,

 pra-

praxi dicatum Medicum, imbuere poterunt. Brevitati consulens, parte hac secunda, nomina tantum dedi, utpote in prima parte jam applicata. Habet unusquisque, quibus ante dicta augeat.



CAPUT II.

DE URINIS.



PARS I.

UROSCOPIUM particulare.

In quo URINAE, earumque conditiones variae, pro singulis morbis, in specie describuntur.

ANASARCA. *URINAE* tenues atque albae; paucae in genere vero.

APE-

APEPSIA. *URINAE* tenues, aquoſae & decolores; interdum tamen craſſae & rubrae apparent.

APOPLEXIA. *URINA* utplurimum eſt craſſa, modica palearis, ac veluti aeruginoſa, hypoſtaſin habens farinae ſimilem.

ARTHRITIS. *URINA* tenuis, flava, ſubrubra, craſſa & perturbata; pituitae, tenuis & aquoſa, *Melancholiae* cauſam imputat. Ad parietes urinalis, reperiuntur plerumque arenulae ruberrimae. Quibus *abſceſſus* ad articulos timetur, hos liberat *URINA* multa craſſa & alba reddita. Si multa *URINA* reddatur, bonum eſt ſignum.

ASCITES. *URINAE* paucae, craſſae, interdum rubrae. Sic, utplurimum rubra, cum craſſo ſedimento. Praeter dicta etiam ſubinde varia. *URINA* ex vini potatione, & ex non potis medicamentis, ſi mutatur, reliquis coindicantibus, bonum eſt.

ASTHMA. *URINA* modo flammea modo pallida, plerumque arenulis

rubicundis, matulae latera occupantibus, referta.

ATROPHIA. *URINA* oleaginosa malae notae.

CACHEXIA. *URINAE* saepius sunt crudae, aqueae, subinde turbidae, copioso sedimento albo.

CATARRHUS. *URINA* crudior.

CHLOROSIS. *EXCRETA* a quacunque via facta, cruda sunt & pituitosa.

CHOLERA. *URINA* vix ulla redditur. *URINA* livida vel nigra, cum pulsu intermittente? Mors in propinquo. *URINAE* ardor vel stranguria succedens bonum.

COLICA. *URINA* aliquando crudior magisque alba, interdum etiam flava ac rubicunda &c. *URINAE* parca excretio, cum ardore.

CORYZA. *URINA* crudior (forte in vehementiori.)

DIABETES. *URINA* quandoque instar mellis dulcescens & albescens.

DYSURIA. *URINA* tenuis intense tincta, interdum flammea, vel admix-

mixtam habens biliosam & pituitosam purulentam materiam.

EPILEPSIA. *URINAE* in quibusdam tenues & crudae. Aliquando, excretione pituitosi humoris, per *URINAM* solvitur.

FEBRIS in *genere*. *URINAE* in principio crudae, tenues, in progressu & statu morbi turbantur, in declinatione deinde naturaliter clarescunt, cum sedimento copioso.

FEBRIS ARDENS vel BILIOSA, *Causus*. *URINA* acris flammea, initio semper cruda, sine sedimento.

FEBRIS CONTINUA in *genere*. *URINAE*, quamdiu in *Febribus*, praesertim continuis, sunt crudae, tamdiu res aegri in statu consistet ambiguo; quando vero adsunt signa Coctionis & Criseos, semper quaelibet fausta ominari possumus: contra, quae coctae jam plus minus apparebant, si recrudescant denuo, semper periculum portendunt.

FEBRIS CONTINUA ACUTA. *URINA* autem admodum cruda, in

Febribus ardentibus, valde periculosa est, & plerumque Mortem annuntiat. *URINA* alba tenuis & clara, in delirantibus, cum *Febre* continua, vel ardente, lethale signum. Quanto rubicundior est initio, tanto citius terminatur morbus, cum signis bonis, benignius, cum malis vero, eo pejor exitus.

FEBRIS CONTINUA LENTA PRIMARIA. *URINAE* crassae intensius tinctae, quae facile turbantur, & subinde multum sedementi seponunt.

FEBRIS CATARRHALIS. *URINAE* intensius tinctae, sed uno alterove die elapso crassescere, hinc turbari, & copiosum sedimentum deponere solent.

FEBRIS ELODES. *URINAE* fere naturales, vel quaedam *URINIS* innatant, instar telae aranearum, quando colliquatio pinguedinis. Vel si cum *URINA*, corpuscula ervi vel hordei speciem referentia, prodeant, quae carnis quasi colliquationem indicant;

dicant; vel denique *URINAE* multitudo, per plures dies excreta, quando ſanguis & humores colliquantur.

FEBRIS HECTICA. *URINA* primo naturali ſimilis eſt, tum colore, tum ſedimento. in progreſſu oleoſa ſupernatant, & ſedimenta ſunt farinacea. Sic, *URINAE* in principio ſanorum ſunt ſimiles; ſin vero concurrat vitium ſtomachi, *URINA* alba, pallida & tenuis ſubinde excernitur. *Hectica* ad *Marasmum* progrediente, *URINA* eſt oleaginoſa.

FEBRIS MALIGNA. *URINA* varia, ejuſque conſideratio curae cordique maximopere eſſe debet; inde Diagnoſis, Prognoſis & Cura. *URINAE* ſaepe ſanorum ſunt ſimiles, adeo ut in maligniſſimis *Febribus*, *URINA* optime conſtituta interdum excernatur: unde tales *URINAE*, praeſentibus aliis pravis ſignis, certum malignitatis ſignum praebent. Interdum in ſtatu turbidae fiunt, ſed tenues ſunt; indeque

vel paucum vel nullum ſedimentum deponunt; ſimul etiam color talium dilutior eſt, quod tamen nil boni denotat. Unde *malignis* in *Febribus*, Coctionis & Cruditatis ratio non habetur tanta, quanta in benignis: interim tamen, etiamſi peſſime habuerint aegri, modo etiam, in ſumma virium proſtatione, *URINAE* excernantur craſſae, ac fiant turbidae, & ſedimentum plus minus copioſum, vel candidum vel lateritium ſimileve ſed aequale depoſuerint; ſemper bonum ſignum eſt. Contrarium obtinet, melioribus ſignis praeſentibus, *URINA* attamen cruda & perſpicua, licet craſſa & intenſe tincta exiſtente, atque ita perdurante, nihilominus intereunt aegri; utut etiam, in tali *URINA* clara, aliquid quaſi ſedementi flaveſcentis, ſeorſim natare videatur, hoc chyli portio eſt, ex aſſumptis, cum *URINA* ſecreta. *URINAE* ſanorum ſimiles, vel perturbatae ſimul & craſſae permanentes, malae. Multi, Coctionis ſignis

gnis in *URINA* apparentibus, ſed denuo recrudeſcentibus, ſublati ſunt e medio. *URINA* tamen cocta, laudabile habens Enaeorema, per aliquod dies continuans, & in ſedimentum ſenſim abiens, ſalutem certam perpetuo pollicetur. Rarum eſt, quod cruda *URINA*, metaſtaſin materiae peccantis, ſive producti morboſi, in morbis malignis, felici eventu inſinuet. *URINA* pinguis & oleaginea, nigra aut liveſcens, cum hypoſtaſi nigra aut liveſcente, certum exitium praenuntiat. *URINA* admodum copioſa, quam febris imminutio non ſequitur, periculoſa eſt, quia colliquationem ſignificat.

FEBRIS INTERMITTENS. Hic *URINAE* inſpectio, ut in *continuis*, tanti moliminis quidem non eſſet, eodem modo tamen conſideranda.

FEBRIS INTERMITTENS *Quartana*. *URINAE* in principio albae, tenues & crudae, in progreſſu vero, coloratiores & craſſiores apparent. Cum Coctionis ſignis, etiam *URINA* nigra

nigra bona eſt. Interdum motu Cri-
tico, craſſa ſolvitur *URINA*.
QUOTIDIANA. *URINAE* in prin-
cipio albae, tenues & crudae, in
progreſſu vero, coloratiores appa-
rent. *URINA* non ſemper alba & te-
nuis eſt, ſed potius inſigniter rubra.
TERTIANA. *URINA* aliquando
flava eſt, rufa vel rubra. Sic rufa at-
que turbida. Nebula alba in *URINA*
ceu Coctionis nota, brevi ſolvendam
Febrim arguit, hac vero abſente
longiorem fore.
SEMITERTIANA s. HEMITRI-
TAEUS. *URINAE* crudae, tenues
& decolores, interdum turbidae
ſunt, cum nullo aut malo ſedimento.
SYNOCHUS SIMPLEX. *URINA*
craſſa, colore a naturali parum rece-
dens, ſed paulo rubicundior. in *E-
phemera*, plus minuſve rubicunda
& a naturali colore atque conſiſten-
tia, magis vel minus recedens, bre-
vitatem aut longitudinem morbi an-
notat.
SYNOCHUS PUTRIDA. *URINAE*
in

initio crudae aut parum coctae, rubrae etiam & crassae. Si Coctionis signa evidentia appareant die quarto, & nullus comitatur error, salutariter die septimo terminabitur: si vero tardius signa Coctionis appareant, ad undecimum, vel decimum quartum diem, extendi potest. Si vero Coctionis signa nulla prorsus appareant, aegrique tornatilem faciem, seu instar sphaerae turgidam habeant, morbi longitudinem ostendit. *URINA*, quanto rubicundior ab initio, caeteris paribus, tanto securior & citior solutio morbi significatur, si nempe in ea cita Coctionis signa appareant: at cum signis Cruditatis si haec? Mortis periculum minatur, praecipue si vires sint debiles. *URINA* alba pessima, Mortem utplurimum portendit.

FEBRIS QUARTANA *continua*. *URINA* in principio tenuis, postea varia. QUOTIDIANA *continua*. *URINAE* initio albae, aquosae & conturbatae, post nonnihil rubrae & crassae.

TER-

TERTIANA *Continua*. Praeter exacerbationes, haec *URINAM* ſimilem fere habet, cum *Febre Bilioſa* vel *Ardente*.

FLUOR UTERINUS. *URINAE* craſſae & turbidae. In *URINA*, principio albidiore & craſſiore, ordinario ſedimentum pituitoſum & inodorum, vel neſcio, qui floſculi pituitoſi & albi perſpiciuntur.

GONORRHOEA VIRULENTA. *URINAE* ardor adeſt, vel albicantior, & quaedam filamenta, hinc inde diſperſa, apparent.

HYDROPS vide ASCITES. *URINAE* paucitas, in *Hydropicis* mala; & quo minus, eo deterius. Rubicundus & rubineus *URINAE* color, deſperatam rem indicat. in ſicco *Hydrope*, ſtillicidium *URINAE*, malum ſignum.

HYPOCHONDRIACA AFFECTIO. *URINA*, pro re nata, in hoc affectu varia eſt; nunc tenuis, nunc craſſa; rubra & turbida ſatis familiaris, cum arenulis rubris, quae nihil

nihil aliud videntur esse, quam salia. Maxime proprium & quasi Pathognomicum signum est, quod aegri subinde *URINAM* reddant plane limpidam, ad instar aquae fontanae, magna copia & impetu diu continuato. Varia igitur *Hypochondriacorum* est *URINA*, imprimis extra paroxysmum, similis sanorum, dum vero paroxysmus gravior urget, solet esse pallida plus minus aquea. Si a remediis turbida fiat, signum est medicamenta rite operari.

CTERUS. *URINAE* sunt colore flavo, intense saturato, tinctae, ad rubrum vergente, quae linteum immersum, colore flavo imbuunt. Si *Icterus Criticus*, *URINAE* bene coloratae. Utplurimum *URINA* est crassa & turbida; immo, pauca intense tincta ex flavo & rubro nigricans. *URINA* imprimis *Icterum* manifestat, non quod lutea appareat, sed potius passea, id est crasse tincta, rutilante colore, tingens linteum immersum non solum flavo, sed constante

ſtante flaviſſimo colore: quod ſi ſubſederint? Sedimentum quaſi argillaceum ſeponunt. Interdum ex viridi nigricantes, interdum ex flavo & rubro nigricantes obſervantur *URINAE.*

ILIACA Paſſio. adeſt quandoque mingendi quaedam difficultas.

ISCHIAS. vide ARTHRITIS.

LETHARGUS. *URINA* eſt jumentorum *URINIS* utplurimum ſimilis, quod ſemper melius eſt, quam ſi eſſet clara. Sic, ſaepe turbida admodum.

LUES VENEREA. *URINAE* ardor, quaſi *Stranguria.* Eſt albicantior *URINA* ſolito, & cum filamentis hinc inde, uti in *Gonorrhoea*, diſperſis.

LUMBRICI. *URINA* recenter excreta, inſtar lactis, ſaepe albicans.

MENSTRUA ALBA, vide *FLUOR UTERINUS.*

MORBILLI vide VARIOLAE.

NEPHRITIS. *URINA* aliquando cruenta; ad paroxyſmi initium *URINA* tenuis aquoſa & pauca, urgente doloro

dolore quandoque ſupprimitur : Poſt paroxyſmum, *URINAE* craſſae, turbidae, copioſae, cum arenoſo ſedimento, atque arenulis & ſaburra &c. Sic ſaepe cruenta tenuis, aquoſa & pauca, circa initium paroxyſmi Nephritici; nunc arenulae, lapilli, ſabuloſaque *URINA*, nunc ſuppreſſio ejus, calculum in veſica, *URINA* albida inſtar lactis & turbida ſaepe denotat. Item mucus albus & levis, mediam *URINAE* partem ſubinde replens, praeter antedicta.

PARALYSIS. *URINA* utplurimum eſt alba & tenuis.

PHRENITIS. *URINA* primum craſſa, mox tenuis & diaphana, *URINAE* albae & pellucidae *lethales*. *URINA* ſolet eſſe flammea & tenuis ſaepe; alba, majoris perniciei nota. *URINAE* cruentae, albae & pallidae, peſſimae ſunt. Quandoque ſupprimitur *URINA*.

PHTHISIS; *URINAE* aliquando innatat pingue.

PLEURITIS. *URINA* rubra & craſ-

ſa, cum corona interdum liveſcente, indicat cauſam in ſanguine: *URINA* tenuis & flava, bili cauſam imputat; pallida & craſſa, pituitae: rubra obſcura, *Melancholicae* materiae. *Urinarum* veruntamen minor, quam ſaepe *ſputorum*, eſt habenda ratio.

PLEUROPNEUMONIA. Praeter antedicta fere, *URINAE* circa initium craſſae, ſi poſtmodum, ante quartum diem, tenues factae, peſſimum.

PODAGRA. vide *Arthritis.*

RHEUMATISMUS. *URINAE* craſſae & multae, in declinatione prodeuntes, morbi ſolutionem afferunt.

SCORBUTUS. *URINAE* variae ſunt: interdum clarae & etiam rubrae, inſtar lixivii; interdum admodum craſſae, ſedimentum rubrum ac craſſum, plus minusve copioſum, inſtar farinae laterum, habentes; quandoque acres. Hodie turbidae ac craſſae, cras tenues & aquoſae; jam pallidae,

dae, mox citrinae, aureae, rubrae. Sic, *URINA* ſaepe tenuis, pallida aut vinoſa, aut citrina, ſed cum arenulis, partim vitro adhaerentibus, partim ſuperficiei innatantibus, partim per ſubſtantiam liquoris diffuſis. In *URINA* ſaepe volatile ſupernatat, ut interdum etiam ſublimetur. Adeoque *URINA ſcorbuticorum* admodum varia eſt; utplurimum flammea, hae ſubinde mutantur & fiunt naturaliter tinctae, cum copioſis arenulis rubris friabilibus, inde ad vaſis latera ſecedentibus. In *URINA* aliquando pinguedo, inſtar pelliculae, ſupernatat. Hic morbus, Patriae noſtrae, heu nimium, flebile flagellum!

STRANGURIA. *URINAE* ſtillicidium cum difficultate & dolore; turbidae ſaepe.

VARIOLAE & *Morbilli*. *URINA* ſanguinea lethaliſſimum ſignum. *URINAE* nigrae aut lividae, magnum oſtendunt periculum. *URINA* rubicunda & tenuis, interdum ſubtur-

bida eſt; ſanorum etiam nonnunquam ſimilis. Interdum *Diabetes*, immo *mictus cruentus*, aegros fatigant. Alba cum ſedimento furfuraceo, etiam apparere in hoc morbo ſolet. *URINA* ſanorum non diſſimilis, interdum tamen turbida eſt, quod contentorum agitationem indicat.

Plurima adhucdum, ad haec addi poſſe, de *URINIS* praedicata, non abnuo: haec vero ſcopo noſtro ſufficere, nullus dubito. Anomala atque ſaepiſſime heterodoxa apparentia, unusquisque, pro virili expugnare & inveſtigare debet. Certa veruntamen dubiis ſemper anteponenda; immo quando res urget, ſuſpicata falſis. Quanti neceſſitudinis ſit *URINAE* inſpectio, in Morborum differentiis & intenſionibus, diſtinguendis, neminem latet, ſi modo a limine ſalutaverit Medicinam. Vires aegri, corporis, vaſorum ac ſanguinis indoles propalantur, atque quomodo medicandum apertiſſime fere indicatur.

PAR

PARS II.

UROSCOPIUM
Universale,

Quod, ex URINIS, morbos, earumque causas varias indicat.

URINA.

ACRIS, *aquosa* & *pauca*, ingruente paroxismo *nephritico*.

ACRIS & *flammea*, initio semper cruda, sine sedimento, in *Febre* ardente.

ACRE quandoque sedimentum & rubrum, cum *URINIS* claris & rubris, in *Scorbuto*.

AERUGINOSA. vide 53.

ALBA & *aquosa*, atque *conturbata*, initio *quotidianae* continuae.

6. ALBA, *craſſa*, *multa* liberat, abſceſſu imminente ad articulos, deponendo in *Arthritide*.

7. ALBA, *cruda* & *tenuis*, initio *quartanae* & *quotidianae*.

8. ALBA vel *cruda* admodum, in *Febribus* ardentibus, valde periculoſa, & plerumque Mortem portendit.

9. ALBIDIOR & *crudior* aliquando, *in Colica*.

10. ALBIDIOR & *crudior* ordinario, cum floſculis albis pituitoſis, in *Fluore uterino*.

11. ALBA, *clara* & *tenuis*, in *delirantibus*, cum *Febre continua* vel *ardente*, lethale ſignum.

12. ALBESCENS & *dulceſcens* inſtar mellis, in *Diabete* colliquativa.

13. ALBICANS inſtar lactis, recenter excreta, *Lumbricorum* aliquando ſignum eſt.

14. ALBICANTIOR aliquando, cum quibuſdam filamentis hinc inde diſperſis, & *URINAE* ardore, in *Go-*

Gonorrhoea virulenta, & *Lue Venerea.*

5. ALBIDA inſtar lactis & turbida, ſaepe *calculum* in veſica denotat.

6. ALBA *pallida & tenuis*, ſi concurrat vitium *ſtomachi.*

7. ALBA & *pellucida* in *Phrenitide*, lethalis.

8. ALBA in *Phrenitide*, majoris perniciei nota.

9. ALBA in *Synocho putrida*, peſſima, Mortemque utplurimum portendit.

0. ALBA cum ſedimento furfuraceo, aliquando in *Variolis* apparere ſolet.

1. ALBA & tenuis, in *Anaſarca.*

2. ALBA & tenuis nonnunquam, in *Febre quotidiana.*

3. ALBA & tenuis, in *Paralyſi.*

4. AQUOSA *cruda* ſaepius in *Cachexia*, ſubinde turbida, cum copioſo ſedimento albo.

5. AQUOSA & limpida, plane inſtar aquae fontanae, magna copia & impetu diu continuato,

in *hypochondriacis* ſubinde redditur.

26. AQUEA plus minus & pallida eſſe ſolet, in *hypochondriacis*, dum gravior urget paroxyſmus.

27. AQUEA tenuis in *Arthritide*, cauſam *melancholicae* materiae tribuit.

28. AQUOSAE tenues & decolores *URINAE* in *Apepſia*.

29. AQUOSA tenuis & pauca, ad initium paroxyſmi *Nephritici*.

30. AQUOSAE tenues, ſubinde in *Scorbuto*, caeteroquin inconſtantes & variae.

31. AQUOSAE, *albae* & *conturbatae*, poſtea nonnihil rubrae & craſſae, in *quotidiana continua*.

32. ARANEARUM *telae* ad inſtar quaedam, *URINIS* aliquando innatant, in *Febre Elodes*, quando fit colliquatio pinguedinis.

33. ARDOR *URINAE* vel *Stranguria* ſuccedens, in *Cholera*, bonum eſt ſignum.

34. ARDOR *URINAE*, ejusque parca excretio, in *Colica* passione.

35. ARDOR *URINAE*, in *Gonorrhoea virulenta*.

36. ARDOR *URINAE* in *Dysuria* vel *Stranguria*.

37. ARENULAE & *arenosum sedimentum*, cum *URINA* crassa & turbida frequens, in *Nephritide*.

38. ARENULAE ruberrimae, ad parietes urinalis, utplurimum in *Arthriticis* reperiuntur.

39. ARENULIS *rubicundis*, latera matulae occupantibus plerumque, referta *URINA*, in *Asthmate scorbutico*; caeterum, modo flammea, modo pallida.

40. ARENULAE rubrae sive salia, cum *URINA* turbida & rubra, alias etiam varia, in *hypochondriacis*

41. ARENULAE *rubrae friabiles*, cum *URINA* flammea, hinc naturaliter tincta, in *Urinis scorbuticorum*.

42. AUREA aliquando in *Scorbuto*, caeterum varia.

CLARA *alba*, vide 11.

43. CLARA *URINA* pejor, quam turbida, & jumentorum ſimilis, quae in *Lethargo*.

44. CLARESCUNT *URINAE*, cum ſedimento copioſo, in declinatione *Febrium*.

45. COCTIONIS in *Febribus* ſignum eſt, quando *URINAE*, quae antea fuerant clarae absque ſedimentis, nunc craſſiores, & magis contentis ſaturatae, atque ſponte turbidae prodeunt, unde Coctionis initium; quodſi porro turbidae, clareſcere, & ad fundum contenta demittere incipiant, ſignum eſt progreſſus ulterioris Coctionis, in *URINA*.

46. CLARAE & *rubrae* inſtar lixivii quandoque, *URINAE ſcorbuticorum*.

47. COCTIONIS *nota*, nebula alba in *URINA tertianae*, brevi ſolvendam *Febrim* arguit: & contra hac abſente, longiorem denotat.

48. COCTIONIS *ſigna* evidentia, die quar-

quarto ſi appareant, in *Synocho putrida*, & nullus committatur error, ſalutariter die ſeptimo terminabitur: ſi vero &c. vide in *Febre*, *Synochus putrida*.

49. COCTIONIS etiam in *Synocho putrida*, ſi modo appareant, quanto etiam rubicundior ab initio fuerit *URINA*, caeteris paribus, tanto ſecurior, & cito morbum ſolvendum indicat.

50. COCTIONIS *ſignis* praeſentibus, in *quartana*, etiam *URINAE* nigrae bonae.

51. COCTIONIS *ſignis* manifeſte in *URINIS* apparentibus, iiſque denuo recrudeſcentibus, malum, & multi perduntur hac de re, in *Febribus malignis*.

52. COCTIONIS *ſignis* praeſentibus, die 9. aut 10., *Petechiae* apparentes, cum virtutis robore, adeo malae non ſemper ſunt, ſed ſaepe Vitae praecones.

53. COCTIONIS *ſignis* praeſentibus & perſeverantibus, in *Febre continua*,

nua, ſemper fere boni ominis ſunt.

54. COCTIONIS & *Cruditatis* ratio aeque habenda, in *Febribus malignis* quam in *benignis*, in his veruntamen adhuc magis.

55. COCTAE *URINAE* plus minus apparentes, ſi denuo recrudeſcant, periculum adeſt. Verum enim vero, ſigna Coctionis praeſentia, ſemper meliora nullis.

56. COLORATIORES & *craſſiores* apparent *URINAE*, in progreſſu *quartanae*, & *quotidianae intermittentis.*

57. CITRINAE, *aureae*, *rubrae* nunc, alias pallidae *URINAE ſcorbuticorum.*

58. CONCOCTAE *URINAE* & laudabile *Enaeorema* habentes, idque pluribus diebus perſeverando, & in diem magis ſe uniens, ac in matulae fundum ſenſim deſcendens, ſalutem perpetuo pollicetur, etiam in *malignis.*

59. COPIOSA admodum *URINA*, quam

quam *Febris* imminutio non ſequitur, periculoſa, in *malignis*.

60. COPIOSAE & *craſſae URINAE*, in declinatione *Rheumatiſmi* prodeuntes, ſolutionem morbi adferunt.

61. COPIOSAE & *limpidae*, in affectu *hypochondriaco* ſubinde.

62. COPIOSAE, *turbidae*, *craſſae URINAE*, cum arenoſo ſedimento, arenuliſque, poſt paroxysmum *nephriticum*.

63. CRASSA utplurimum modica palearis, ac veluti aeruginoſa, hypoſtaſin farinae ſimilem habens in *Apoplexia*.

64. CRASSAE, perturbatae *URINAE*, in *Arthritide*, a pituita.

65. CRASSAE, *paucae* & interdum *rubrae*, in *Aſcite*.

66. CRASSAE & *rubrae* interdum apparent *URINAE*, in *Apepſia*.

67. CRASSA colore, a naturali parum recedente, ſed paulo rubicundiore, in *Synocho ſimplici*.

68. CRASSA & *rubrae* nonnunquam *URI-*

URINAE in *Synocho putrida.*

69. CRASSAE vero, intenſius tinctae, quae facile turbantur, & ſubinde multum craſſamenti ſeponunt, in *continuis lentis.*

70. CRASSAE *URINAE*, ſi fiant turbidae, & ſedimentum plus minus copioſum vel candidum, lateritium ſimileve, ſed aequale depoſuerint, etiamſi de caetero peſſime habuerint aegri, ſemper tamen bonum ſignum, in *Febribus malignis.*

71. CRASSAE & *rubrae* nonnihil, vide 31.

72. CRASSA licet & intenſe tincta, cruda tamen & perſpicua exiſtente, ac ita perdurante *URINA*, in *Febribus* malignis, aliis ſignis, melioribus licet praeſentibus, nihilominus intereunt aegri.

73. CRASSAE & *perturbatae* manentes *URINAE*, nec recedentes, in malignis *Febribus*, malae.

74. CRASSAE & *turbidae URINAE*, in *Fluore uterino.*

75. CRASSA, nunc tenuis & varia, in *affectu hypochondriaco.*

76. CRASSA & *turbida*, immo pauca, intenſa flavedine tincta, in *Ictero.*

77. CRASSA primum, mox tenuis & diaphana in *Phrenitide.*

78. CRASSA & *rubra*, cum *corona* interdum liveſcente, indicat cauſam *Pleuritidis*, ſimiliter *Peripneumoniae*, in maſſa ſanguinea exiſtentem.

79. CRASSAE *URINAE*, ſub initio *Peripneumoniae*, poſtmodum vero, ante quartum diem tenues factae, lethale ſignum.

80. CRASSAE & multae, in declinatione morbi prodeuntes, ejus ſolutionem indicant, in *Rheumatiſmo;* Criſis etenim facta, & ſecreta materia peccans eſt.

81. CRASSAE admodum aliquando *URINAE*, cum ſedimento rubro ac craſſo inſtar farinae laterum, in *Scorbuto.*

82. CRASSAE inconſtantes jam & tur-

turbidae tenues aquoſae, ſequenti die, in *Scorbuto.*

83. CRASCESCERE, hinc turbari, & copioſum ſedimentum deponere ſolent, poſtquam uno alterove die prius intenſius tinctae fuiſſent *URINAE*, in *Febre catarrhali.*

84. CRASSIOR etiam ſubinde & de caetero varia, in *malignis* ſaepe, ſine certo verumtamen Judicio, *URINA* eſt.

85. CRASSIS *URINIS* interdum, motu critico ſolvitur *quartana.*

86. CRUDA aliquando *URINA*, quamvis raro metaſtaſin materiae morbificae, in morbis malignis, felici eventu inſinuat.

87. CRUDAE & tenues *URINAE*, in nonnullis *Epilepticis.*

88. CRUDAE & *tenues* ſaepiſſime, in *Febrium* initio.

89. CRUDAE in *Febribus continuis* quamdiu fuerint *URINAE*, in ambiguo fluctuat aeger.

90. CRUDAE aut parum *coctae URINAE* initio rubrae & craſſae etiam

etiam, in *Synocho putrida.*

91. CRUDAE, decolores & tenues atque turbidae interdum *URINAE*, cum malo & ſaepe multo ſedimento, in *Hemitritaeo.*

92. CRUDIOR *URINA*, in *Coryza.* (forte vehementiori.)

93. CRUDITATIS eſt ſignum, *URINA* clara abſque ſedimentis excreta.

94. CRUDITATIS *ſignis* exiſtentibus, in *URINA* rubicundiori, ab initio, in *Synocho putrida*, periculoſum.

95. CRUDITATIS & Coctionis ratio, magis ſaepe habenda eſt (& haberi poteſt) in *benignis Febribus*, quam in *malignis.*

96. CRUENTA aliquando, circa initium paroxyſmi *Nephritici*, eſt *URINA*, atque poſtea excernitur.

97. CRUENTAE in *Phrenitide URINAE*, peſſimae ſunt, & funeſtus ſaepius morbi exitus.

98. DIABETES ſeu *URINAE* profluvium, in *Morbillis* & *Variolis*,

lis, aliquando dire aegros fatigat.

99. DULCESCENS inſtar mellis & albeſcens quandoque, *URINA Diabeticorum.*

100. ERVI vel *hordei* ſpeciem referentia corpuſcula, cum *URINA* prodeuntia, in *Febre Elode*, carnis ſignificant colliquationem.

101. DIFFICULTAS & dolor cum *URINAE* ſtillicidio, in *Stranguria.*

ENAEOREMA. vide *Sedimentum* 159.

102. FLAMMEA interdum & tenuis, aut intenſe tincta, vel admixtam habens bilioſam & pituitoſam purulentam materiam, in *Dyſuria.*

103. FLAMMEA ſolet eſſe & tenuis, ſaepeque alba, majoris perniciei nota, in *Phrenitide.*

104. FLAMMEA utplurimum eſt *URINA Scorbuticorum.*

105. FLAVA eſt aliquando, rufa vel ru-

rubra, in *Tertiana intermittente.*

106. FLAVO colore intenſe ſaturato, ad rubrum vergente, infecto, quo immerſum linteum colore imbuitur flavo, *Ictericorum URINA* eſt.

107. FLAVO ex rubro, ſive ex viridi, nigricant fere *Ictericorum URINAE.*

108. FLAVA, tenuis, ſubrubra, in *Arthritide* ſaepius.

HORDEI ſpecies. vide 100.

HYPOSTASIS. vide *Sedimentum.*

109. JUMENTORUM *URINAE* ſimilis, utplurimum in *Lethargo*; hoc melius quam ſi clara eſſet.

110. LACTESCENS aliquando in pueris, *Lumbricis* laborantibus.

111. LAPILLI cum *URINA* excernuntur ſaepe, in *Nephriticis.*

112. LIMPIDA ad inſtar aquae fontanae, Cryſtallinae, magna copia & impetu, diu continuato red-

ditur aliquando *URINA*, in affectu *Hypochondriaco*, cujus signum Pathognosticum fere est.

113. LIVESCENS *corona*, cum *URINA* rubra & crassa, *Pleuritidis* causam, in sanguine quaerendam, denotat.

114. LIVESCENS nigra aut pinguis *URINA*, cum hypostasi nigra aut livescente, certum, in *Febre maligna*, praenuntiat exitium.

115. LIVIDA vel nigra *URINA*, cum *PULSU intermittente*, in cholera, Mors in vicinia est.

116. LIVIDAE *URINAE* aut nigrae, funestum exitum metuendum annuntiant, vel maximum periculum, in *Variolis* & *Morbillis*.

117. LUTEA immo potius Passea, *URINA Ictericorum*.

118. MICTUS *cruentus* aliquando, in *Variolis* & *Morbillis*, ut & in *Nephritide*.

119. MINGENDI difficultas, in *Iliaca passione*.

120. MINGENDI in *Nephritide* ſaepe impedimentum.

121. MUCUS *albus* & *levis*, mediam partem *URINAE* replens, in *Nephritide*.

122. MUTATIO *URINAE*, ex potatione imprimis vini, magis quam medicamentis facta, reliquis coindicantibus, bonum in *Hydrope*.

123. NIGRA. vide 50. 107. 114. 115. 116.

124. OLEAGINOSA, in *Aſthmate*, malum.

125. OLEAGINOSA *URINA*, *Hectica* progrediente ad *Maraſmum*.

126. PAUCA in *Hydrope*, malum.

127. PITUITOSI humoris per *URINAM*, excretione hac, ſaepe ſolvitur *Epilepſia*.

128. PALLIDA atque *tenuis* & vinoſa, aut etiam citrina, cum arenulis vitro adhaerentibus, in *Scorbuto* ſaepe.

129. PINGUEDO inſtar pelliculae, ſu-

pernatat ſaepius *URINAE Scorbuticorum.*

130. PINGUES vero, *URINAE Phthiſicorum.*

131. PITUITOSA & cruda *URINA* in *Chloroſi.* vide Num. 10. 26.

132. RUBICUNDUS & *Rubineus* color *URINAE*, in *Aſcite*, indicat rem deſperatam.

133. RUBICUNDA ac *flava*, in *Colica* interdum &c.

134. RUBICUNDIOR, quam naturalis, in *Synocho ſimplici.*

135. RUBICUNDA plus minus, & a naturali colore & conſiſtentia magis vel minus recedens *URINA*, brevitatem vel longitudinem morbi portendit, in *Febre Ephemera.*

136. RUBICUNDA & tenuis interdum ſubturbida, in *Variolis* atque *Morbillis.*

137. RUBRAE interdum craſſae nonnihil & paucae, in *Aſcite*: ſaepius craſſiſſimae etiam.

138.

138. RUBRA insigniter saepe, in *Quotidiana.*

139. RUBRAE & aliquantulum crassae in progressu *Quotidianae continuae.*

140. RUBRA & turbida, cum arenulis rubris, satis familiaris *Hypochondriacis.*

141. RUBRA & obscura *URINA*, in *Pleuritide*, causam a *Melancholia* videtur ducere.

142. RUBRAE etiam & clarae instar lixivii, caeterum variae *URINAE Scorbuticorum.*

143. RUBRO ex flavo fere nigricantes, *Ictericorum.*

144. RUFA & turbida *URINA*, in *Tertiana.*

145. RUTILANTE colore intense tincta, passeaque, *Ictericorum URINA.*

146. SubRUBRA quandoque, in *Nephriticis* atque *Arthriticis*, porro vide Num. 38. 39. 66. 105.

147. SABULOSA *URINA* etiam, in *Nephriticis.*

148. SANGUINEA *URINA*, lethale ſignum, in *Variolis* & *Morbillis.*

149. SANORUM. *Quantitate*, debet eſſe minor aſſumptis. *Colore*, citrino; ea quae poſt coctionem excernitur. *Contenta*, praeter hypoſtaſin, nulla: bona hypoſtaſis eſſe debet coloris albidi: figurae rotundae, & aequalis, verſus fundum ſubſidens. Conſiſtentia, ſimilis cereviſiae clariſſimae: vel media inter oleum & aquam, ut aliis. *Nubeculae* & *Enaeorematis* praeſentia, in ſanis ſaltem, cruditatis chyloſae, vitio digeſtionis primae coacervatae, ſignum eſt.

150. SEDIMENTUM album copioſum, cum *URINA* ſubinde turbida in *Cachexia.*

151. SEDIMENTUM argillaceum, quaſi *URINAE Ictericorum*, luteae ſubſidentes deponunt.

152. SEDIMENTUM craſſum cum *URINA* rubra in *Aſcite.*

153. SEDIMENTUM ſubinde, ex turbidis craſſis, atque intenſius tinctis, ſeponitur, in *Febre continua lenta.*

154. SEDIMENTUM copioſum, ex turbida *URINA* deponi ſolet, poſtquam uno alterove die praevie intenſius tincta fuit, in *Febre Catarrhali.*

155. SEDIMENTUM plus minuſve copioſum, candidum vel lateritium, ſimileve ſed aequale, ſi depoſuerit *URINA*, prius craſſa hinc turbida, in *Febre maligna;* quamquam aegri valde male ſe habuerint, ſemper bonum ſignum eſt.

156. SEDIMENTUM flaveſcens ſeorſim, in *URINA* cruda licet, atque clara aut craſſa vel intenſe tincta, natans; melius quamquam aegri videantur ſe habere, Mortem attamen minatur.

157. SEDIMENTUM ſenſim deponens *URINA*, cum laudabili praevie Enaeoremate, in *URINA*

cruda, & ita per aliquod dies continuans, ſalutem certam in *Febre maligna* pollicetur.

158. SEDIMENTA farinacea, cum oleoſa *URINAE* ſuperficie, in progreſſu *Hecticae.*

159. SEDIMENTUM nullum aut malum, cum *URINA* interdum turbida, in *Hemitritaeo.*

160. SPUTORUM major habenda ratio utplurimum, quam *URINAE*, in *Pleuritide* & *Peripneumonia.*

161. STILLICIDIUM *URINAE*, cum difficultate & dolore, in *Stranguria.*

162. STILLICIDIUM *URINAE*, in ſicco *Hydrope*, malum.

163. STANGURIA quaſi, vel *URINAE* ardor, ſaepe in *Lue venerea*, aut *Gonorrhoea virulenta.*

164. SUPPRESSIO *URINAE* nonnunquam in *Nephriticis*, hoc imprimis tempore paroxyſmi. vide

de 1. 29. 62. 77. 109. 110. 111. 120. 128. 146. 147.

165. SUPPRESSIO *URINAE* etiam aliquando in *Phreniticis*. vide 77. 79.

166. TENUIS & *alba*, quandoque rubra, in *Febre Quotidiana*.

167. TENUES & *turbidæ URINAE*, in ſtatu *Febrium malignarum*, cum colore dilutiore, permanentes tales, malae.

168. TENUIS & flava, in *Pleuritide*, bilem accuſat.

169. TENUES, ante quartum diem, factae *URINAE*, dum initio *Pleuropneumoniae* craſſae eſſent, portendunt Mortem.

170. TENUES & *aquoſae*, nunc craſſae & turbidae, in *Scorbuto*. vide 3. 41. 42. 46. 57. 81. 82. 104. 128. 142.

171. TINCTAE intenſius *URINAE*, in principio *Febrium Catarrhalium*.

172. TINCTAE intenſius *URINAE*, craſſae vero, aut crudae, ſine ſedimento, & ita permanentes, malae,

malae, in *Febribus malignis.*

173. TINCTAE naturaliter ſaepe evadunt, quae antea fuerant flammeae *URINAE*, in *Scorbuto*, cum arenulis rubris friabilibus.

174. TURBIDAE, in ſtatu *Febrium*, *URINAE.*

175. TURBATAE, initio *Quotidianae continuae*, poſt nonnihil rubrae & craſſae.

176. TURBATA *tenuior*, in *Febribus malignis*, aeque mala, ut in benignis.

177. TURBATAE *URINAE* & craſſae, cum copioſo ſedimento, in progreſſu *Febrium Catarrhalium.*

178. TURBIDA interdum, in *Variolis* & *Morbillis*, magnum contentorum motum & agitationem ſignificat.

179. TURBIDA *URINA*, a remediis facta, in *hypochondriacis*, ſignum eſt medicamenta rite operari: vide 26.

180. VARIA ſubinde, in *Aſcite URINA.*

181. VARIA, in progreſſu *Febris Quartanae continuae.*

182. VARIA admodum, in *Hypochondriaco affectu.*

183. VARIAE admodum, in *Scorbuto, URINAE.*

184. VIRIDIS atque nigricans quandoque in *Ictericis.*

185. VIRIUM in aegris ſemper habenda ratio, item *temporis* & *corporis*, *ſanguinis*, *vaſorum*, *conſuetudinum Vitae* & aliarum rerum.

186. URINARUM ſaepe minor, quam *Sputorum* eſt habenda cura, in *Pleuritide.* vide Num. 160.

Non tribuimus huic catalogo, omnem xhauſtam hic *URINAE* Diagnoſin; antum abeſt, ut potius minimam parem propoſitam agnoſcamus, praeciuam tamen, atque magis, neceſſitudine ſua, inſervientem. Commemoavi, quibus carere, defectus eſſet in-

con-

conveniens in praxi: unicuique via patet, ad ulteriora, ut abundare ſcientia medica poſſit.



CAPUT III.

DE UNIVERSALIUM USU.



PARS I.

MORBI.

Quibus PURGATIO convenit.

In ALVI RETENTIONE, at leniter laxantia, quae & umbilico exterius applicanda, ex variis ſuccis, vel extractis *PURGANTIBUS.*

In

In ANASARCA & LEUCOPHLEGMATIA, ex iidem cauſis, ut in *Cachexia* dicetur.

In ANOREXIA, aloëtica, ſi cauſa in primis viis, nec aeger ſubjectus *Haemorrhoïdibus*; aloë enim illud malum exaſperare ſolet.

In APPETITU *nimio*, praeſertim *Fame canina*, praemiſſis veruntamen, acidum vel acre temperantibus, vel obtundentibus.

In APOPLEXIA praeſervanda, Mercurius dulcis cum extractis vegetabilibus, ſi *PURGATIONE* opus, uſurpari poteſt.

In ARTHRITIDE & *Podagra PURGATIO* blanda, aſt temperantibus mixta, pro ratione circumſtantiarum, convenire poteſt, praeſertim ingruente paroxyſmo.

In ASTHMATE humido, tantum, idque poſt ſedatum paroxyſmum, ad reliquias exhauriendas, cum gummi ammoniaco.

In AGRYPNIIS, per accidens tantum, auferendo cauſam occaſionalem.

In

In CACHEXIA *primaria*, a cruditatibus primarum viarum & sanguinis, plus minus antecedenter correctis, *PURGANTIA* conveniunt, inter quae Rhabarbarum non infimum.

In CALCULO *renum*, per accidens, blande laxantia, ad praecavendam aut tollendam, primarum viarum obstructionem.

In CARDIALGIA, per essentiam, caute tamen, & opiatis sociata.

In CATARRHIS (non nisi contumacioribus, & vitio stomachi, vel primarum viarum) saepe minus conveniunt, & tunc pillulae Rufi, vel similia adhibenda.

In CEPHALALGIA per essentiam (in qua hydragoga & cephalartica), sic maxime per consensum, in qua v. g. pillulae masticchinae conveniunt; danda itidem opera, ut alvus aperta semper servetur.

In CHOLERA, sed non nisi cautione, & saltem in principio acre illud abstergendum, atque blande di-

diluendum, ſubjunctis mox opiatis.

In CHYLI *diſtributione laeſa* (vulgo in obſtructionibus) per epicraſin, laxantia gummatibus mixta.

In CHYLOSEOS *laeſione*, detergendo ſordes mucilaginoſas, & ſtomacho adhaerentes, praeſertim pilulae maſtichinae, aloephanginae, & pro robuſtis, de hiera picra.

In COLICA HUMOROSA, in *convulſiva* vero *PURGANTIA* proprie dicta (humectantibus & blande abſtergentibus exceptis) nocent; id vero in initio, aut dolore ſedato, ſunt neceſſaria *PURGANTIA*, & ἐκκοπρωτικὰ adhibenda.

In DELIRIO MELANCHOLICO, *PURGANTIA* ex antimonio aut helleboro nigro excellunt.

In DIARRHOEA, non autem in principio ſtatim, ſufflaminato prius humorum impetu, & deleto irritationis ſenſu, ſi tunc neceſſe videatur, blando rhabarbarino, in-

teſtina abſtergenda, additis etiam abſorbentibus acre.

In DOLORIBUS in *genere*, convenire poſſunt *PURGANTIA*, prout circumſtantiae requiſiverint, adduntur illis evacuantibus martialia.

In DYSENTERIA parum quidem, vel etiam nihil valent laxantia, praeſertim in decurſu morbi, idque minus in maligna quam benigna; ſi itaque alvus blande laxanda ſit, atque primae viae abſtergendae videantur, fiat hoc in morbi initio, per rhabarbarum toſtum, vel ſerum lactis, idque commodius mane.

In EMPYEMATE ſi pus ad alvum vergat.

In EPILEPSIA, per conſenſum *PURGANTIA* neceſſaria, in ſpecie mercurius dulcis: alii, tempore novi vel plenilunii, haec applicant.

In FEBRIBUS *generaliter*, ſaepe *PURGANTIA* nociva a quibuſdam

dam cenſentur proprie ut criſin impedientia, ſaltem blanda, primas vias abſtergentia, pro rei exigentia admitti poſſunt; idque fere quovis *Febris* ſtatu, niſi Criſis impediat; in principio ex tamarindis, rhabarbaro, ſic infuſo de ſenna, ſalibus digeſtivis ſociata & acuata.

In FEBRIBUS *intermittentibus* ſaepe aſt non ſemper conveniunt, vel in principio vel in progreſſu, ſi potius vomitoria neceſſaria videntur: ſi in primis viis excrementa & ſordes, *PURGATIO* adhiberi poteſt, ex antimonio cum rhabarbaro pauco, ſale polychreſto & quodam abſorbente, hocque die antecedente intercalari, vel aliquot horis ante paroxyſmum.

In FEBRE *hectica* blande *PURGANTIA* abſterſiva ſaltem conveniunt, ubi prima corporis regio excrementis referta eſt, ex cruditate ac debilitate ventriculi.

In FEBRIBUS *malignis* cave *PUR-*

GANTIA, & non nisi blande laxantia, primas vias abstergentia; v. g. serum lactis cum succo citri parum acidulatum, cremoreve tartari; vel decoctum tamarindorum adhibe, vel sal ipsum, ac polychrestum; haec vero declinante jam morbo & devicta pernicie, aut mox in initio morbi, vel quando alvus est laxanda.

In GONORRHOEA *virulenta*, *PURGATIO* mercurialis, cum helleboro nigro, jalappa, scammonio vel quodam hydragogo, omnibus praeferenda; mineralia cum mercurialibus ne jungantur, aut docte, funestus etenim posset esse exitus.

In HYDROPE si adhibeantur, fortiotiora esse possunt ex regno vegetabili vel minerali desumpta, praemissis primo lenibus& primas vias abstergentibus.

In HYDROCEPHALO, habita ratione virium, subjungendo roborantia cerebrum.

In

In HYDROPE *pectoris PURGANTIA* conducunt.

In HYDROPE *uteri*, ex elaterio, ſic mercurius dulcis adhiberi poſſet.

In ICTERO, in principio morbi ſaepe nociva, niſi exigat primarum viarum obſtructio, ſaltem lene abſterſivum non nocet, in morbi progreſſu vero, praemiſſis appropriatis convenit, ex rhabarbaro, ſale tartari &c.

In ILEO, conſiderandum vero, an deobſtructio, an irritationis ſublatio ſit impetranda, ſaepe enim *PURGATIONI*, potius opiata praemittenda: *PURGANTIA* ne ſint fortiora, niſi ubi jam plane pacatus fuerit furor; externe etiam umbilico illita.

In INCUBO, ſi ex infarctu ventriculi, a materia viſcida, praemiſſis digeſtivis, helleborina, blanda etiam, & per epicraſin.

In INFLATIONIBUS in genere, ſi *Febris* ſit juncta, blanda laxantia

proficua esse solent, alias non semper.

In INFLATIONE *ventriculi*, ructibus, aloëtica optime adhiberi possunt.

In ISCHURIA *renali*, laxantia cum tartaro vitriolato subinde fructuosa, subjungendo diuretica.

In ISCHURIA *vesicali*, ut per consensum simul vesica aliquo modo stimuletur, *PURGANTIA* blanda adhiberi possunt.

In LIENTERIA, si nil obstet, idque talia, quae praeter vim abstersivo laxativam, simul nonnihil adstringunt & ventriculum roborant; uti sunt aloëtica, rhabarbarina, myrobolani &c.

In MANIA, si in principio *PURGANDUM*, convenit extr. hellebori nigri, cui antimonialia, *PURGANTIA* per inferiora, pro stimulo addantur.

In MELANCHOLICO *delirio*, si necesse, *PURGANTIA* ex antimonialibus aut helleboro nigro ex-

excellunt; ſecus, *PURGANTIA* nimia *Melancholicis* mala ſaepe.

In MENSTRUORUM ſuppreſſione, praemiſſis digeſtivis, *PURGANTIA* aliquando pro ratione ſubjecti, convenire poſſunt.

In MENSTRUIS *nimiis*, ſaltem rhabarbarum, pro ſcopo potius alterativo, cum terebinthina ſuccove plantaginis praeparata, optimum erit, quia proprie dicta *PURGANTIA* potius nocent.

In MORBILLIS & VARIOLIS, poſt ſanatas *Variolas* ſemper *PURGATIO* bona, in principio vix, niſi corpus cacochymicum, primarum viarum ſordities, & alvi obſtructio exigat, & non niſi blandiſſime.

In ODONTALGIA *graviori*, ubi corpus nimis *cacochymicum*, convenit, immo & jalappa adhiberi poterit.

In OPHTHALMIA *graviore*, ex lympha, vel dyſcraſia nimia oriunda.

In PARAPLEGIA poteſt utilis eſſe *PURGATIO*; ſtimulus ſit colocynthis.

In PLEURITIDE, in declinatione mali ſaltem, alias ante diem ſeptimum utplurimum, & praecedente ſputo, pernicioſa eſt.

In RAUCEDINE, praeſertim recenti, poteſt etiam, ſi opus videatur, *PURGATIO* inſtitui, & hoc per Eſulam, Elaterium, Jalappam &c.

In RENUM *ulcere*, praemittenda *PURGANTIA*, ſubjunctis mundificantibus & conſolidantibus.

In RUCTIBUS vel VENTRIS INFLATIONE, aloëtica & pilulae maſtichinae, vel ſimilia uſurpari poſſunt.

In SCORBUTO & MALO *Hypochondriaco*, *PURGANTIA* proprie dicta omnino vitanda, interim tamen, & ſpeciatim in malo *Hypochondriaco*, alvus ſemper aperta ſervanda.

In SINGULTU, ſi malum in ſtomacho,

cho, pilulae aloëticae cum laudano opiato mixtae, immo mercurius dulcis cum diagridio acuatus.

In STRANGURIA *contumaciori*, pro ſcopo averſorio *PURGANTIA* conveniunt, ex ſcammonio, jalappa, agarico &c.

In SOPOROSIS *affectibus*, a colluvie recrementoſa prodeſt, ſubjungendo acria & volatilia, ſpirituum torporem diſcutientia.

In TUMORIBUS vel APOSTEMATIBUS internis, blande laxantia.

In TUSSI *pectorali* humida, caute tamen cum pil. cochiae, hiera picra, agarico, addito gummi ammoniaco.

In VARIOLIS & MORBILLIS vide *Morbillis*.

In VERTIGINE per conſenſum ſtomachi praeſertim, bene conveniunt. v. g. Extractum catholicum, pilulae Rufi, de ſuccino, de maſtiche; atque in habituali *Vertigine*, pilulae uſuales & ſimilia.

In VISUS *debilitate* conveniunt ad con-

fortandum visum; v. g. pilulae aloëphanginae, infusum de senna cum sale tartari, in euphrasiae & foeniculi aqua, sic extractum panchymagogum Crollii, pulvis hermodactylorum &c.

In VOMITU *nimio*, aloëtica imprimis, & hinc pilulae de mastiche.


In ULCERIBUS, requirente corpore cacochymico, vel humorum aversione.

In VULNERIBUS generaliter, in subjecto cacochymico, *PURGATIO* convenit mediocris.

In UTERI *Hydrope* ex elaterio & mercurio dulci, vel similia adhiberi possunt.

In GENERE circumstantiae & indicationes considerandae, hinc, infinitis modis, casuum, medicamentorum & formularum selectus, variari valet.

PARS



P A R S II.

M O R B I

Quibus VOMITORIA competunt.

In ANGINA ſaepe, vitio ventriculi & bilis aeruginoſae &c. idque mox in principio, ut & in maligna valde, aliquando utile *VOMITORIUM*, & tandem in ſtatu ultimum remedium eſt, pro diſrumpendo abſceſſu profundius ſito.

In ANASARCA & LEUCOPHLEGMATIA ex vitio primarum viarum, & hinc deficientis chyloſeos, cruditates ejus, plus minus correctae, *VOMITU* optime evacuari poſſunt.

In ANOREXIA, ſi cauſa in ventriculo.

In APOPLEXIAE paroxyſmo, praemature & debite, in ſubjecto capaci,

paci, administratus *VOMITUS*, optimus eſt, praemiſſa Venae Sectione.

In ARTHRITIDE & PODAGRA, ingruente paroxyſmo, *VOMITUS* conducere poteſt, ſed praemiſſo melius uſu lapid. cancri, habita ratione ſubjecti.

In ASTHMATE non tantum humido & ſicco, ſed etiam interdum convulſivo, in- & extra paroxyſmum, pro ratione circumſtantiarum, additis addendis, egregia ſunt.

In CACHEXIA *primaria*, vel vitio primarum viarum, & hinc deficientis chyloſeos, cruditates ejus, plus minuſve correctae, evacuari poſſunt.

In CALCULO *renum*, extra paroxyſmum quidem, ad praeſervationem, & (ut quibuſdam) acidi primarum viarum ſublationem, *VOMITORIA* conducunt.

In CARDIALGIA per eſſentiam.

In CATARRHIS *contumacioribus*, prae-

praeſertim vitio ſtomachi, adhiberi poſſunt.

CATARRHO quoque *ſuffocativo* (ſi ferre queat aeger) a cauſa ſive interna, ſive imprimis externa, ſubjungendo, in interna, opiata; in externa, incidentia, attenuantia.

CATOCHE ſeu CATALEPSI, antimonialia, maximi uſus ſunt, ſic tartarus emeticus.

CEPHALALGIA per conſenſum, *VOMITORIA* non incongrua.

CHYLI *diſtributione laeſa* (vulgo obſtructionibus) praemiſſis digeſtivis.

CHYLOSEOS *læſione* a naturali quadam cauſa, circa primas vias, antimonialia uſum habere poſſunt.

CHOLERA, RUCTIBUS, *VOMITU nimio*, pro re nata, ſi cauſa eſt in ventriculo.

DELIRIO *Melancholico*, *VOMITORIA* & martialia primatum du-

ducunt, & ſi neceſſe, in doſi auctiori.

In DIABETE, in principio, *VOMITUS* pro ſcopo revulſionis optimus.

In DIARRHOEA, ex ventriculi cauſa.

In EPILEPSIA in - & extra paroxyſmum, & hic in ſpecie, ubi malum, ex conſenſu primarum viarum, optime convenit, & in graviore paroxyſmo, utile admodum eſt *VOMITORIUM.*

In FEBRIBUS *continuis acutis*, aeque ac *lentis*, uſum quoque habent, idque in principio aut incremento, praeſertim, ubi ſigna *VOMITUM* indicantia adſunt, ut ſunt: nauſea, vomendi conatus, ructus, cardialgia, praecordiorum anxietates, tunc bona ſunt mediocria.

In FEBRE *hectica*, ſi vitio ventriculi &c.

In FEBRIBUS *intermittentibus*, & in *quartana*, maxime, immo & *quo-*

quotidiana, per tartar. emeticum, vitriol. album, rad. ipecucuan. &c. aliquot horis ante paroxyſmum peracta *VOMITIONE*, conſortante aliquo generoſo, aut aqua cinamomi & ſimilibus, ventriculus roboradus, ſic & ſoporiſera conducent.

FEBRIUM *malignarum* principio, ſi a cauſa *epidemica* vel *contagio*, aeque ac ſi a privato contentorum vitio orta fuiſſet.

FEBRE *petechiali* & *peſtilentiali*, prae aliis *malignis*, maxime proficuus *VOMITUS*.

FLUORE *albo mulierum*, ex vitio ventriculi, omnino bona ſunt, praemiſſis digeſtivis, aromaticis ſtomachicis &c.

GUSTU *depravato* v. g. *icteritio*, *VOMITUS* ſaepe convenit, hoc facto, ſerum lactis propinetur, vel ſimile quid.

HECTICA *Febre*, ſi vitio ventriculi orta.

HYDROPE ſi adeſt niſus ad vomitum,

tum, vel gravior diſpnoea, atque in larga doſi, alias non operabitur.

In HYDROPE *uteri*, propter niſum quem exſerunt.

In ICTERO non inconveniens, ſubjungendo appropriata.

In INCUBO, ſi ex infarctu ventriculi, praemiſſis digeſtivis, & ſubjungendo volatilia ac antiepileptica.

In INFLATIONE *ventriculi*, ructibusque crebrioribus, convenire poſſunt.

In LEUCOPHLEGMATIA, ex vitio primarum viarum atque ventriculi.

In LIENTERIA, ex ventriculo, idque lenia, ſi videatur.

In MANIA *VOMITORIA* fortiora, neceſſaria.

In MENSIUM *emanſione*, praemiſſis digeſtivis, inſervire poſſunt.

In PESTE, in principio morbi, ubi venenum haeret adhuc in primis viis, quod teſtatur nauſea, commodiſſime adhibetur, mixtis alexi-

phar-

pharmacis: ſic tumoribus jam eruptis, neceſſitate ſuadente, *VOMITIO* adhuc utenda.

n PICA, in non gravidis, tutius, in gravidis, cautius, idque ſaltem ſecundo ſive tertio, geſtationis menſe, & ad *VOMENDUM* aptis, vel accommodatis.

n PHILTRIS, *VOMITUS* neceſſarius, ſubjungendo neceſſaria.

n PHTHISI, ſi ex vitio ſtomachi, vel ſingulari acrimonia maſſae ſanguineae, convenit *VOMITUS*; quin & in ulcere pulmonum confirmato, ubi urget difficilis reſpiratio, aut eſt difficilis materiae excretio, ſed vires conſtare maxime debent.

n PLEURITIDE, per accidens ſaltem, ſi vitioſa excrementa, circa primas vias, ſanguinem coinquinantia, ſtabulentur, & in principio, & dein, in facto abſceſſu.

n PRIAPISMO, *VOMITORIA* prae omnibus conveniunt.

In RAUCEDINE etiam *VOMITUS* interdum neceſſarius, praeſertim inveterata.

In RENUM *ulcere* uſurpari poteſt, ventriculum & inteſtina mundando.

In RUCTIBUS, CHOLERA, VOMITU, pro re nata, ſi cauſa eſt in ventriculo.

In SCORBUTO & MALO *hypochondriaco*, *VOMITUS* neceſſarius eſſe poteſt, imprimis in doloribus abdominis.

In SINGULTU, malo immediate in ventriculo haerente, optima.

In SOPOROSIS *affectibus*, ſi a cauſa externa, aut colluvie recrementoſa, vel etiam *narcoſi* aliqua, *VOMITUS* prodeſt, ſubjunctis acidis atque caſtoreo.

In SUFFOCATIONE ex fumo carbonum, aëre cellarum, puteorum &c. larga doſi, praemiſſis vel mixtis ſpirituoſis.

In SUFFOCATIONE *convulſiva* inter-

terdum, pro ratione circumſtantiarum.

In STRANGURIA *contumaciori*, etiam *VOMITUS* convenit.

In TABE, vide *Phthiſi*.

In SYNCOPE ſtomachica, aut a venenis &c.

In TUSSI *catarrhali*, pro rei exigentia, ſubjungendo (ut quibuſdam placet) volatilia ſudorifera opiatis mixta; in *ſtomachali humida*, decoctum ligni ſudorif. optimè adhibetur.

In VENENIS *aſſumptis*, in ventriculo adhuc haerentibus, forte *VOMITORIUM* convenit.


In VERTIGINE per conſenſum, tam in, quam ante paroxyſmum, *VOMITUS* optimus, ſubjunctis remediis ſtomachicis atque ſpecificis, ſi ex ſtomacho.

In VOMITU ipſo, *Ructibus*, *Cholera*, pro re nata, ſi cauſa in ventriculo haeret.

In UTERI *Hydrope*, diſcutit enim cor-

pus, atque conquassando multum boni speratur.

In Universum: rarius & non nisi necessitate coactus, ad citius & tutius curandum *VOMITORIA* propinare soleo. Facilitatur vero quam maxime *VOMITIO*, praecedenti vesperi, dato quocunque pulvere, glutinosum in ventriculo haerens, solvente, v. g. sal alcali, vel saponaceum quoddam, junctum pauxillo oculorum cancrorum, in ipso *VOMITU* vero, potus thee, vel cardui benedicti &c. exilis, facilitat maximopere ipsum actum.





P A R S III.

M O R B I.

Quibus SUDORIFERA *ac* DIAPHORETICA *conducunt.*

In ANASARCA & LEUCOPHLEGMATIA, decoctum lign., pro habitu corporis emendando, iſta anaſtomotica.

In ANGINA *benigna*, & in *maligna*, opiatis mixtis.

In APOPLEXIA, declinante paroxyſmo, *SUDORIFERA*, ex lignis, uſu aliquamdiu continuato, ſunt maxime proficua; ſic in *Paraplegia*, *Paralyſi* &c.

In APHONIA ſubinde *SUDOR* provocandus, immo & in contumaciori malo, v. g. *paralytico*, di-

aeta *SUDORIFERA*, cum lign. decocto, instituenda.

In ARIDURA, a caussis internis v. g. lymphae acidae decubitu, *SUDORIFERA* interna, externis discutientibus, juncta.

In ARTHRITIDE & PODAGRA, tam in paroxysmo, opiatis maritata, quam extra; in diaeta, *SUDORIFERA* sunt optima.

In ASCITE, praesertim, malo ex vasis lyphaticis oriundo.

In ASTHMATE *convulsivo*, tam in fine, quam extra paroxysmum, non negligenda: in *humoroso* similiter locum obtinent, per decoctum guajaci, & simile, quod etiam expectorationem promovet.

In CATARRHIS, *SUDORIFERA*, eaque aromatica, vel balsamica, sunt prae caeteris necessaria; ita etiam in *Coryza*, pro conditione subjecti.

In CEPHALALGIA (per essentiam imprimis) *contumaciori*, diaeta *SUDORIFERA*, optima est,

prae-

praemiſſis praemittendis.

In DIARRHOEA, & maxime *epidemica* vel *contagioſa*, atque a fermento acri, humores ad colliquationem diſponente orta. Uſum maximum tunc habent, diaſcordia illa varia.

In DOLORIBUS in *genere*, maxime quandoque proficua *SUDORIFERA.*

In DYSENTERIA, maxime *epidemica* & *maligna*, dicta diaſcordia & theriacalia, ſudorem & venenum expellentia, profunt.

In EMPYEMATE, ſi pus ad alias vias non vergat, vel exitum habeat.

In EPILEPSIA *convulſionibus* juncta, a dyſcraſia humorum, multum conducunt.

In ERYSIPELACEIS *inflammationibus*; ſpecificum, flor. ſambuci.

In FEBRIBUS *generaliter* conveniunt, eligendo attamen temperata potius, eaque vel fixa abſorbentia, vel volatilia (ſi neceſſe)

macra, non oleoſa; in *malignis* ſocientur alexipharmaca, in principio quidem temperativa, in incremento & ſtatu, fortiora; acidula attamen minus periculoſa.

In FEBRIBUS *catarrhalibus* item, praemiſſis attamen lymphae acrimoniam corrigentibus.

In FEBRIBUS *continuis*, ſed Coctionis, immo Criſis ſignis apparentibus, nec ad alias vias determinantibus, adeoque in progreſſu, ſalina vel vegetabilia bona.

In FEBRIBUS *intermittentibus* bona ſunt *SUDORIFERA*, praemiſſis tamen univerſalioribus, aſt non ante Coctionis ſigna, vel paroxyſmum quartum, praeſertim in *tertiana*, dando v. g. tribus horis ante paroxyſmum; eaque fixa potius atque volatilia macra; in *malignis tertianis* addendo alexipharmaca.

In FEBRIBUS *malignis*, ut Germaniae practicis placet, primatum ſaepe obtinent, & tanto magis quanto *Febris*

bris fuerit malignior, iis, ſic dicta tinctura Bezoardica, maximi uſus. Optime operantur ſalia illa volatilia; hinc volatilia aromatica, eaque potius in principio & incremento morbi, ac ubi mitius urget aeſtus, alias tutius macra adhibentur; in ſtatu, fixiora tutius, non neglectis alexipharmacis in contagioſis. Recentiſſimi, blanda *SUDORIFERA*, ſaponacea, acidula, aperientia vegetabilia, adhibent, quae adminiſtrare ac juvare valent naturam, non vero cogere, hoc tutius.

In FEBRE *petechiali* quoque primatum ducunt, ſpeciatim in principio & incremento morbi, ubi, ſecundum quoſdam, volatilia, in ſpecie theriacalia, tutiſſime adhibentur, in progreſſu vero ac ſtatu morbi, fixa. Sed generaliter dictum velim: in ſummo periculo, ſumma remedia applicanda ſunt, ſemper vero circumſpecte.

In FEBRE *lactea*, blandus *SUDOR* con-

venit & debitus *lochiorum* ſtimulus.

In FLUORE *albo mulierum* bona ſunt, imprimis ligna *SUDORIFERA.*

In FLUORE *gallico mulierum*, inveterato, plane conveniunt.

In FLUXO *hepatico*, ſeu *Diarrhoea cruenta*, ea quae in *Dyſenteria* praeſcripta.

In GANGRAENA & *Sphacelo*, theriacalia & camphora adhibentur & alia.

In GONORRHOEA *notha benigna*, conveniunt juniperina, ſuccinata, ſaſſafras &c.

In GUMMATIBUS *gallicis*, *SUDORIFERA* ex lignis; in graviori malo, mercurialia conducunt.

In HAEMORRHAGIA quandoque habituali, opiatis mixta, ad ſanguinis maſſam, ſero acriori privandam.

In HEPATICO *fluxu*, ſeu *Diarrhoea cruenta.*

In HEPATIS *inflammatione* ſaepe, antimonium diaphoreticum & ſimilia, ſi non cohibetur contraindicantibus.

In

HYDROPE quoque interdum, magis tamen *anaſarca*, quam *aſcite.*

HYDROPE *pectoris* bona, praemiſſis purgantibus.

HYPOCHONDRIACO *malo* & *Scorbuto*, proſunt *SUDORIFERA*, potiſſimum tamen, quando partes externae gravius laeduntur, praemiſſo utplurimum vomitorio.

ICTERO, morbo declinante, proſunt *SUDORIFERA.*

INCUBO habituali, praemiſſis evacuantibus, ad univerſam ſanguinis maſſam ventilandam, *SUDORIFERA* volatilia.

INFLAMMATIONIBUS *generaliter*, ad ſanguinis tenuitatem & fluxilitatem conſervandam, & concitatiorem circulationem reddendam, placuit plurimis, *SUDORIFERA* alcalinae praeſertim naturae, tam fixa, quam volatilia, ceu univerſalia, adhibere: haec heterodoxa noſtratibus videntur, ſuadendo, periculoſum nimis

mis esse usum, stimulantium horum alcalinorum, in omni morbo inflammatorio, & tutius posse adhiberi ea, quae proposita sunt, in *Febribus malignis*, de acidulis saponaceis &c.

In LEUCOPHLEGMATIA & ANASARCA, decoctum lignorum, pro habitu corporis emendando.

In LOCHIIS *retentis*, blanda *SUDORIFERA*, ad promovendum & stimulandum sanguinis circulum, convenire possunt.

In LUXATIONE superveniente *inflammatione*, & maxime *tumore oedematoso*, ex influxu humorum, *SUDORIFERA* apprime conveniunt.

In MENSIUM *fluxu* nimio, ex sanguine serosiore, *Diaphoretica* bona.

In OPHTHALMIA, ex decoct. lignorum.

In PARALYSI privativa, *SUDORIFERA* ex lignis per aliquod tempus propinata bona sunt, praemit-

mittendo Venae ſectionem, ſi ab aliqua ſanguinis ſuppreſſione vel cauſa ſimili ortum duxerit.

In PHILTRIS, *SUDORIFERA* appropriatis mixta, vel praemiſſa, neceſſaria.

In PLEURITIDE & PERIPNEUMONIA, mire ſaepe opitulantur.

In PUERPERARUM *morbis acutis*, interdum blandus ſudor, cum debita cautela convenit, ſed attende, ne *lochiorum* fluxus ſiſtatur.

In PESTE ſaepe ſummum remedium eſt *SUDORIFERUM*, aeque mineralia quam vegetabilia atque alexipharmica *SUDORIFERA* reiterata, camphora his optime addi poteſt, refocillatis ſubinde ſpiritibus, per *SUDOREM* nimium exhauſtis, analepticis acidis, ſpirituoſis; continuando etiam *SUDOREM*, poſt tumorum quorumvis eruptionem; aeger vero ſub *SUDORE* a ſomno arceri poterit.

In SCORBUTO & MALO *hypochon-*

chondriaco, uti eo loco dictum: vide *Hypochondriacum malum.*

In SOPOROSIS *affectibus*, praemissis praemittendis, in fine curae, *SUDORIFERA* ex lignis imprimis, convenire possunt.

In TREMORE quoque, diaeta cum decocto lignorum optima, ubi juniperinum laudandum.

In TUSSI *nocturna catarrhali*, praemisso etiam, pro rei exigentia, vomitu, *SUDORIFERA* opiatis mixta; & in *stomachali humida*, decoctum lignorum *SUDORIFERUM.*

In TUMORIBUS in *genere* prosunt alcalia tam volatilia quam fixa; in *Rosa*, rob. sambuci; in Lymhae vitiis, juniperina sassafrata.

In VARIOLIS & MORBILLIS necessaria sunt, inter quae fixa conducere videntur, ubi primarum viarum & vasorum urgent symptomata, & tempore ebullitionis; volatilia vero, ubi nervorum genus magis afficitur, atque excretio-

tionis tempore, atque ubi pectoris, aut pulmonum metuuntur, a *Variolis*, mala, acidula tamen tutiora.

In VULNERIBUS *generaliter* conducunt, ad corrigendam massam sanguineam, *SUDORIFERA* salina, vel blande volatilia, pro circumstantiis datis, conveniunt. Ita quoque

In ULCERIBUS &c.

Ultimo, cum *DIAPHORETICA* & *SUDORIFERA*, quam saepissime difflent mobiliores atque subtiliores nostros humores, non, nisi re bene perspecta, Morbo, Diathesi, atque Circumstantiis ad amussim examinatis, adhibeantur, oportet. Sunt, qui alcalina & chymica in morbis laudant, sunt qui cane & angue pejus vitanda censent: tutiora veruntamen vegetabilia acida videntur. In cunctis maneat usus, tollatur abusus.



PARS IV.

MORBI

Quibus DIURETICA *inser-viunt:*

In ANASARCA & LEUCOPHLEGMATIA, pro habitu corporis emendando, laudantur; pro ſcopo iſto, lixivium ex cineribus abſinthii vel geniſtae &c. vino albo paratum atque ſimilibus, eſt egregium.

In ARTHRITIDE vel PODAGRA, *DIURETICA* appropriata, in curando & praeſervando: ſunt laudata alcalina tum fixa tum volatilia, v. g. ſpiritus ſalis armoniaci, ſpiritus carminans de tribus, lumbricalia, arcanum duplic. &c.

In CACHEXIA *primaria*, a cruditatibus primarum viarum atque sanguinis, plus minus correctis.

In CALCULO *renum*, in paroxysmo sunt moderata, atque tanto parciora, quanto dolor urget magis; post paroxysmum vero liberiora, ut tinct. nephritica, spir. carminativus, liquor nephriticus: dicta vulgo lithontriptica, saxifraga, rubia tinctorum, ononis, bardana &c. vel novum illud arcanum nunuper in Anglia detectum, si modo non esset usu tam difficile, immo quibusdam intolerabile: tentasse non nocet, in hoc morbo, tam incerti & funesti exitus saepe.

In DOLORIBUS quandoque *DIURESIS* convenit.

In EMPYEMATE, quando pus ad vias urinarias vergit, optime conceduntur.

In FEBRIBUS *continuis lentis*, bono saepe successu; itemque *catarrhalibus*, praemissis veruntamen in

 his,

his, lymphae acrimoniam corrigentibus.

In FLUORE *albo mulierum*, *DIURETICA* conveniunt, in ſpecie terebinthinata, balſ. ſulphuris terebinth., balſamus copaivae &c.

In GONORRHOEIS, *DIURETICA* congruunt: v. g. in *notha* benigna, ex junipero, ſuccino &c. in *virulenta*, ex terebinthina vel balſ. copaivae, rubicundo colore cum radicibus alcannae tincto &c.

In HAEMOPTOE, ſaepe proſunt per medicamenta ſanguinem & vaſa ſimul inſpiſſantia &c.

In HYDROPE ſunt optima, praemiſſis neceſſariis univerſalioribus, eaque ex numero volatilium (ſi interiora adhuc bona nec aliqua putredine corrupta), ex urinis, lumbricis, buſonibus &c. vel, quod ſaepe tutius, ex ſpiritu nitri dulcis largiori copia propinato, & ex acidis.

In HYDROPE *pectoris* quoque ſpecialiter conveniunt.

In

In ICTERO, morbo declinante, *DIURETICA* optima.

In INFLAMMATIONE & hinc ſequente *abſceſſu* internorum, ubi pus ad *renes* defertur.

In INFLAMMATIONE *renum*, in declinatione veruntamen, pro abſterſione reliquiarum, alias nocent, propter irritationem.

In ISCHURIA *renali*, *DIURETICA* eſſentialia, & in ſpecie, ſi ſecretio laeſa, a ſanguinis grumo: rubia tinctor., hedera, aq. cerefol. hyperic., ſic lap. cancror. cum aceto aſſumpti, ſperma ceti, ſuccinata, atque ſimilia vulneraria. Sin a pure obſtruente per metaſtaſin, abſtergentia, ſimul, ubi terebinthinata, ſucci recentes citri, hederae &c. Sin a muco tenaci, blande ſtimulantia (praemiſſis laxantibus) ut ſalina, tartarus vitriolatus, ſpir. urinoſi, ſalia volatilia, raphanacea &c.

In ISCHURIA *veſicali*, ſalina, pro circumſtantiarum ratione.

In MENSTRUORUM *nimio fluxu*, ex ſeroſiore ſanguine.


In PODAGRA ut in *Arthritide* dictum.

In RENUM *inflammatione*, caveas, ante declinationem morbi adhibeas, omnia irritantia nociva, in morbo tali inflammatorio.

In SCORBUTO vel MALO *hypochondriaco*, *DIURETICA* laudem merentur ſuam, adhibitis ſalinis variis ſpecificis, praemiſſo vomitu.

In TUMORIBUS ſimiliter ex lymphae vario vitio oriundis, idonea *DIURETICA* prodeſſe poſſunt.

In *Genere*. Ubi *DIURETICA* applicanda ſunt, indicatio eſt, materiam vel peccantem vel ſuperfluam, per ureteres eſſe evacuandam: quae cum ita ſint, hocque non poſſet ſemper tuto fieri; qualis electio medicaminum, & in quibus morbis haec inſtituenda, prudens Medicus attente ponderabit.



P A R S V.

M O R B I

Ibi *VENAE SECTIO* *convenit*.

In ANGINA *inflammatoria*, idque pro revulſione univerſali, vel in Saphaena, poſtmodum in brachio alterutro vel utroque; ſic, in ſtatu, Raninae, derivationis gratia, habita ſemper ratione circumſtantiarum.

n ANGINA *aquoſa* vel *ſcirrhoſa*, raro locum habet, & caute.

n ANI *inflammatione*, quoque in principio, revulſionis gratia, in brachio fieri poteſt.

n APHONIA, pro ratione circumſtantiarum.

n APOPLEXIAE paroxyſmo, large & praemature celebranda, prae-

ſertim, in locis calidioribus & ſubjectis plethoricis &c.

In AGRYPNIA per accidens tantum, auferendo cauſam occaſionalem.

In ASTHMATE, ſed per accidens tantum, ad circulationem ſanguinis promovendam, ſubinde neceſſaria.

In CASU ab *alto*, & quavis ſanguinis congrumatione, mox *VENA SECANDA*, in loco oppoſito, ſubjunctis ſtatim reſolventibus.

In CATARRHO *ſuffocativo*, a ſanguine in pulmones irruente, aut ibidem ſtagnante, larga *miſſio ſanguinis* neceſſaria ſaepe eſt.

In CATARRHIS, ſi ſubjectum eſt plethoricum, aut conſueta ſanguinis evacuatione omiſſa, ſuppreſſa; vel ſi confeſtim nimius ſit decubitus *catarrhalis*, in quadam parte, tunc ſaltem *VENAE SECTIO* convenire poteſt, obſervando revulſionum & avulſionum regulas.

In CEPHALALGIA, *SECTIO VENAE* brachii, frontis & pro ratio-

tione circumſtantiarum ſaepe utilis, praeſertim ubi vitium in vaſis ſanguiferis nimium repletis: etiam Arteriotomia nobile praeſidium eſt, in malo contumaciori, ſpeciatim *Hemicrania*.

In CEPHALALGIA *ſcorbutica* incipiente aut ſaepius recurrente, convenit.

In DIARRHOEA *cruenta*, ſeu fluxu *hepatico*, ex ſuppreſſa quadam ſanguinis evacuatione, aut infarctu, aut tumore viſceris, *VENAE SECTIO* revulſoria, pro ſufflaminatione.

In DOLORIBUS *generaliter*; prout circumſtantiae requiſiverint, convenire poteſt; vel *hirudines*; immo & *haemorrhoïdum* apertura &c.

In DOLORE *crurum ſcorbutico*, incipiente, *VENAE SECTIO*, in brachio interdum mire confert.

In DYSENTERIA Sydenham laudat, aſt Ettmullerus contradicit; & ſane ſunt caſus, ubi maxime prodeſt.

In EPILEPSIA, a ſanguinis quadam ſuppreſſione, *VENAE SECTIO*, aut alia quaevis v.g. *haemorrhoïdum* apertio conducere poteſt.

In FEBRIBUS *generaliter*, per ſe quidem locum non haberet, per accidens vero quam maxime; ut in *plethoricis*, & quibus ſuppreſſa conſueta quaedam evacuatio: aut qui *VENAE SECTIONE* nimium aſſueti; vel quibus ſanguis vegetior; vel ad ebullitiones ſanguinis proni, idque in principio. Sunt qui magis in *benignis*, ſecus in *malignis* ſtatuunt; ſunt qui contrarium aſſerere conantur; aſt in omni *inflammatoria* vel *acuta Febre* maximi uſus eſſe, hodierni pene omnes plerumque conveniunt: magis veruntamen, in calidiore climate ac tempore, quam frigidiore.

In FEBRE *continua acuta*, ſatis opportune *VENAE SECTIO* in principio quidem, & quavis diei hora; atque adhuc magis in aſſue-

tis

tis & plethoricis, aut quibus ſuppreſſa eſt aliqua ſanguinis evacuatio, atque (ſi eligere fas eſt) ubi mitius urget aeſtus & extra tempus furoris *febrilis.*

In FEBRIBUS *malignis*, a *VENAE SECTIONE* utplurimum cavendum: ſi mitior *malignitas*, adjuncta *Febris ardens* vehementior; nec ulla ſigna criſeos alicujus: in ſubjecto praeſertim juvenili, fiat principio morbi; circumſpecte vero, nam de corio humano agitur, &, *VENAE SECTIONE* male celebrata, orta hinc inde ſymptomata, ſaepe indomabilia redduntur, ſanguisque deperditus non facile reſtituitur.

In FLUXU *hepatico*, ceu *Diarrhoea cruenta*, ex ſuppreſſa quadam ſanguinis evacuatione, aut infarctu, aut tumore viſceris, *VENAE SECTIO* revulſoria, pro ſufflaminatione.

In HAEMOPTOE, plerumque in paro-

xyſmo, obſervando revulſionis leges.

In HEPATIS *inflammatione*, reliquis praemittenda *VENAE SECTIO*, ſi exigatur.

In INFLAMMATIONIBUS in *genere*, pro requiſitis circumſtantiis, *VENAE SECTIO* ventilatoria, ad impediendum *inflammationis* incrementum, omnino ſubinde concedenda: atque ubi revulſione opus eſt, minime negligenda.

In INFLAMMATIONE in ſpecie v. g. Inteſtinorum, in brachio, revulſionis gratia inſtituitur; ut & in Ani *inflammatione*, interdum repetitis vicibus; ſimiliter, Meſenterii, ſed hic juvat *haemorrhoïdum apertio* per hirudines; ſaepe autem in Ventriculi *inflammatione* cautela opus, atque parcius adhibenda &c.

In ISCHURIA *renali*, levis *VENAE SECTIO*, pro exigentia, adhiberi poteſt.

In LOCHIIS *retentis*, *VENAE SECTIO*

TIO ſaepe, eaque in pede, ſi parcius fluant.

In LOCHIORUM *fluxu nimio*, in brachio inſtitui poteſt.

In LUXATIONE, ſi ſupervenerit inflammatio, tunc in loco oppoſito fiat.

In MALACIA & PICA, ex menſium ſuppreſſione orta, habita tamen ſimul ratione, an plura indicantia adſint.

In MANIA, larga *VENAE SECTIO* inſtituenda, idque ſaepius iteratim, paroxyſmo tamen prius nonnihil cicurato, & furore mitigato.

In MENSTRUORUM *nimio fluxu*, *VENAE SECTIO* in brachio, ſaltem pauca quantitate, pro exigentia, inſtitui poteſt.

In MENSTRUORUM *ſuppreſſione*, ex improviſo refrigerio vel terrore &c. *VENAE SECTIO* in pede vel crure; alias aegre fluentibus, ipſo menſtrui tempore, in brachio ſecetur *VENA*.

In

In MICTU *cruento*, pro ſcopo revulſorio, vel derivativo, praeſertim, quando ex ſolemni aliqua evacuatione ſuppreſſa, malum obortum fuerit &c. tunc *VENAE SECTIO* locum inveniet.

In MORBILLIS & VARIOLIS, in noſtro climate parum prodeſt, quin potius obeſt *VENAE SECTIO*: interim mox in principio, inque plethoricis & adultis, pro rei exigentia, adhiberi poteſt.

In ODONTALGIA *graviore*, interdum ad *SECTIONEM VENAE* accedendum.

In OPHTHALMIA *graviore*, pro revulſione, in pede; averſione in brachio; pro derivatione, optima, in fronte.

In PARALYSI, ex ſuppreſſione aliqua ſanguinis, *VENAE SECTIO* neceſſaria.

In PALPITATIONE *cordis*, in ſubjecto, praeſertim, plethorico, ſic, ubi ſuſpicio ſanguinis grumoſi vel polypoſi, circa *cor*; vel ſi ſuppreſ-

ſa quaedam ſolemnis evacuatio.

In PERIPNEUMONIA, contendunt quidam, non opus eſſe *VENAE SECTIONE*; verum enim vero, quam ſaepiſſime, curatos fuiſſe aegrotantes, ſola *miſſione* largiori *ſanguinis* conſtat; hinc ea, pro ratione circumſtantiarum, in brachio inſtituenda eſt.

In PHRENITIDE, adminiſtranda *VENAE SECTIO*, pro efferveſcentia (ſic dicta) ſanguinis compeſcenda, atque ſimul ejus ſtagnatione reſolvenda: huic ſubjunguntur varia, vel ſucci acidi, nitroſi, immo bezoardica, ſulphurea, antimonialia &c.

In PICA & MALACIA, vide ſub *Malacia*.

In PLEURITIDE, per accidens, atque pro conditione perſonae; ſi v. g. plethorica, tunc repetitis vicibus ſaepe inſtituenda, idque pro ſcopo revulſionis: in pede, ſi eſt *Pleuritis* (ut dicitur) aſcendens; averſionis gratia, in pede oppo-

poſito lateri dolenti, in deſcendente; in brachio vero oppoſito, ſi eſt aſcendens *Pleuritis*; propinando poſtea, ſpecifica, vel univerſaliter, diluentia & reſolventia.

In PRUNELLA, apertio *VENARUM* raninarum mature inſtituta, bona.

In RENUM *inflammatione*, pro revulſione in brachio; ac averſione in pede: forte, *haemorrhoïdum* apertio, proficua valde.

In SALACITATE *nimia*, praeter diaetam parcam, jejunium, *VENAE SECTIO*, eaque repetita conducit.

In SOPOROSIS *affectibus*, *VENAE SECTIO* averſoria & derivatoria, in ſubjecto idoneo.

In STRANGULATIS, ſanguine in faucibus ſtagnante, ſic in *ſuffocatis*.

In SYNCOPE ex *terrore*, ex *menſium ſuppreſſione* &c.


In

In VARIOLIS uti dictum in MORBILLIS.


In VERTIGINE, per accidens, in plethoricis, evacuatione ſolita ſuppreſſa, athletice ſanis, vita ſedentaria aſſuetis.

In VOMITU *ſanguinis*, revellendo & & avellendo *miſſio ſanguinis*, ſic per hirudines *haemorrhoïdibus* applicatas, ne ventriculus ſanguinis copia obruatur &c.

UNIVERSALIS *indicatio* hic: Subjectum plethoricum; ſanguinis motus nimius; inflammationis ſigna urgentia, conſuetudo, ſcopus averſorius, derivatorius & revulſorius; ſuppreſſio, ſtagnatio ſanguinis, & quae his affinia.



PARS



PARS VI.

MORBI

Quibus CLYSTERES opitulantur.

In ALVI *retentione*, *CLYSTERES* ex emollientibus, addita terebinthina, vel ejus oleo in affectu *nephritico*, prosunt.

In ANI *inflammatione*, *CLYSTER* leniens & emolliens necessarius, si faeces induratae, aut metus indurationis adsit.

In APOPLEXIA saepe *CLYSTER* acer stimulans, similibusve in morbis.

In ARTHRITIDE, *CLYSMATA*, in ipso paroxysmo, *anxietates* praecordiorum optime leniunt.

In

In CALCULO *renum*, urgente paroxyſmo, *CLYSTER* aut emolliens aut anodynus, optime convenit, additis (ſecundum quoſdam) convenienter terebinthina & ſale volatili ſuccini &c.

In CATARRHO *ſuffocativo*, a ſanguine in pulmones impetuoſius influente, aut ibidem ſtagnante, *CLYSTER* acrior.

In CARDIALGIA a *flatibus*, aut *exhalationibus*, ex efferveſcentia humorum in inteſtinis, *CLYSTER* ex carminantibus.

In CHOLERA, lenientes v. g. ex lacte.

In COLICA, malo in inteſtinis craſſis haerente praeſertim, immo ſi eſſet in ventriculo, revulſorio ſtimulo; idque mitius, ex emollitientibus aut carminantibus; vel fortius, ex *purgantibus*, praeſertim in *humoroſa*; in *convulſiva* vero, anodynis, & leniter demulcentibus &c.

In DIARRHOEA, potiſſimum in de-

clinatione, abſtergendo.

In DYSENTERIA, raro quidem, idque ſaltem, ubi ſordes eluendae, acrimonia temperanda, neceſſaria conſolidatio.

In DYSURIA, *CLYSTERES* nunc blande ſtimulantes; nunc lenientes, crebro uſurpandi, quando alvus contumacior.

In EPILEPSIA, pro exſuſcitatione, acres ſaepe.

In FEBRIBUS *generaliter*, pro abdominis affectibus mitigandis, aut aeſtu levando, praeſertim capitis, aliisve ſymptomatibus; abſtinendo tamen in naturae motu critico.

In FEBRIBUS *continuis*, pro alvo fluida ſervanda, urgentibus praecordiorum & abdominis ſymptomatibus, aeſtu ſanguinis, & ad impediendam translationem orgaſmi humorum ad caput, *CLYSTERES* admittuntur.

In FEBRIBUS *intermittentibus*, ubi copioſi flatus aut ardores, aliaque

que abdominis ſymptomata: v. g. vomitus nimius; anxietates, contumacior alvus, dolores in centro meſenterii, circa vertebras lumbares, ſatis ſunt proficui, idque leniter abſtergentes, aut carminantes.

In FEBRIBUS *malignis*, ſi primarum viarum obſtructio exigat, temperata adhibeantur.

In HEPATIS *inflammatione*, aliisque internis, ubi pus ad inteſtina fertur, blandis *CLYSTERIBUS* inteſtina abſtergenda.

In HERNIA *confirmata* (minus in recenti, propter *CLYSTERIS* pondus) carminantes, emollientes, praecipitantes, pro ratione affectus.

In HYDROCEPHALO, *CLYSMATA*, infantibus aeque ac adultis, egregie proſunt.

In HYSTERICA *paſſione*, *CLYSTERES*, ex ſpeciebus aromaticis carminativis, boni.

In ILEO, *CLYSTERES*, emollientes

& abſtergentes, praemature adhibiti.

In INFLAMMATIONE *inteſtinorum*, ſi alvus obſtructa, molles extemporanei fiant, quia malum praeceps.

In ISCHURIA *renali*, *CLYSTERES* terebinthinati, ſaepe urinae ſecretionem promovent.

In ISCHURIA *veſicali*, primo quidem blande emollientes, poſtmodum etiam acres, ut irritata alvo, per conſenſum veſica ſtimuletur.

In MESENTERII *inflammatione*, *CLYSTERES* lenientes, abſtergentes, emollientes, anodyni, pro cauſarum occaſionalium ratione, injici poſſunt, praeſertim, quando per alvum purgari incipit abſceſſus.

In RENUM *inflammatione*, lactea, item terebinthinata, ſerum lactis cum nitro, vel ſimile injiciatur.

In SCORBUTO & MALO *Hypochondriaco*, *CLYSTERES* emollientes & nutrientes, carminantes

&

& ſubinde, ex lixiviis vel lacte & ſapone &c. interdum ſatis proſunt.

In STRANGURIA, malo contumaciori, *CLYSTERES* emollientes & anodyni. v. g. ex lactis ſero, decocto cum herbis emollientibus.

In TENESMO, pauca tantum quantitate.

In VENTRICULI *inflammatione*, convenienter injici poſſunt *CLYSTERES.*

In VERTIGINE *crebriore & vehementiore*, *CLYSTERES* ſatis acres, quales in *Apoplexia* & *Epilepſia* uſurpantur, bene procedunt.

In VESICAE *inflammatione & ulcere*, *CLYSTER* anodynus ex lacte, aut ſimul cum nitro.

In UTERI *hydrope*, *CLYSTERES* fortiores, etiam vaginae *uteri* injici poſſunt.

UNIVERSALITER *CLYSTERES* applicari poſſunt, ubi inteſtina ſordibus liberanda, abſtergenda ac

mundanda ſunt, nec minus, ubi ſtimulatione eorundem opus eſt, acubi purgationi praeferri debent, & ſimilibus.



PARS VII.

MORBI.

Quibus OPIATA &c. ſuccurrunt.

In AGRYPNIA conferre poſſunt *OPIATA*, refrigerantibus & humectantibus ſubactis, junctis & mixtis, in parva autem doſi & partitis vicibus exhibita, & contraindicantium ratione habita.

In ANGINA praeſertim *maligna* quandoque, ſudoriferis mixta.

In APETITU *nimio*, FAME *canina* nempe, caute tamen, aliis ſociata.

In ASTHMATE praecipue SICCO *con-*

convulſivo, ante & in paroxyſmo, appropriatis mixta, hoc urgente ſpirituum impetu.

In ARTHRITIDE & PODAGRA, *OPIATA* dolorem quidem ſiſtunt, ſed motum naturae impediunt; ob id caute nec unquam ſola, ſed purgantibus, vel ſudoriferis ut ſpecificis, mixta utenda.

In CALCULO *renum*, ſublatis primo impedimentis & evacuatis primis viis, & urgente doloris *nephritici* ferocia, *OPIATA* appropriatis mixta, uſurpari poſſunt.

In CARDIALGIA, *OPIATA* mixta neceſſariis, bona.

In CATARRHO *ſuffocativo*, a cauſa interna, v. g. lympha tenuiori & acriori, vel fibras pulmonum aut laryngis vellicante.

In CATARRHIS *quibusvis* etiam, praeſertim, ſi ſingularis lymphae acrimonia concurrat, *OPIATA* proſunt, mixtis appropriatis, ſudorem promoventibus.

In CEPHALALGIA, in- & externe

NARCOTICA, mire ſaepe juvant, ſed ſunt periculoſa, ob id caute exhibenda, atque gradatim a minima doſi incipiendo: extrinſece vero noli ſuturis admovere.

In CHOLERA praeſertim viribus adhuc praeſentibus, alias quibusdam *OPII* doſis minuenda, & diſtributive absque omiſſione porrigenda.

In CHLOROSI ſaepe conducunt.

In COLICA *convulſiva* & *ſpaſmodica* (in *humoroſa* vix, niſi dolor urgeat humoresque ſint tenuiores) plane neceſſaria, appropriatis nervinis mixta: ſi vero in *humoroſa* plane exigatur, non niſi poſt purgantia, aut purgantibus mixta adhibeantur, & non niſi in ſumma neceſſitate, purgantibus praemittenda ſunt.

In DIABETE, praecipue notha interpolatus *NARCOTICORUM*, ad irritationem renum & nimiam ſecretionem, vel colliquefactionem impediendam, non incongruus uſus.

In

In DIARRHOEA, ad ſopiendum acutum irritationis ſenſum, illa diaſcordiata Fracaſtorii, Sylvii &c. conveniunt.

In DOLORIBUS in *genere*, *NARCOTICA* in- & externe adhibita primatum ducunt, attamen parcius & cautius adbibeantur atque praemiſſis praemittendis, & appropriatis debitis ſociata.

In DYSENTERIA, maxime, idque melius veſperi, additis convenientibus ſudoriferis, acre abſorbentibus, aut ſi opus eſt, leni abſtergente, & confortante fibras, uti rhabarbaro &c.

In EPILEPSIA, *OPIATA* mixta debitis, praemiſſis univerſalibus, bona.

In FAME *canina*, caute tamen, aliisque ſociata vel ſubjecta.

In FEBRIBUS *generaliter*, cautius & non niſi neceſſitate urgente & in incremento potius, additis convenientibus, in *intermittentibus*, prius praemiſſis praemittendis.

In FEBRIBUS *intermittentibus*, leniſſimo uſu ſaltem, & febrifugis uſitatis ſociata, praemiſſisque univerſalibus digeſtivis, & gravioribus ſymptomatibus urgentibus, caeterum caute.

In FEBRIBUS *continuis*, idque *acutis* non incongrua, debito tempore, viribus adhuc praeſentibus, ad orgaſmum humorum, ſpirituumve furorem praemature inhibendum, blande papaverina, laudanum *opiatum*, ſed moderate.

In FEBRIBUS *malignis* applicantur cum ſucceſſu, idque in morbi augmento, cum ſudoriferis (praeſertim ſi anxii & inquieti ſunt aegri), vel etiam poſt ſudores, pro robore & quiete aliquali cauſanda, cum julapiis & mixturis convenientibus, propinando.

In FLUXU *hepatico* ſive DIARRHOEA *cruenta*, *OPIATA* vulnerariis, & ſaepe adſtringentibus mixta.

In HAEMOPTOE, *OPIATA* perquam

quam ſunt proficua, in ſpecie ſemen hyoſcyami pptum &c.

In HAEMORRHAGIA, *OPIATA*, inſpiſſantibus & conſolidantibus mixta, generale remedium.

In HEPATICO *fluxu*, vide ſub *Fluxu*.

In HERNIA, externe *ANODYNA*, ſub forma fotus, in irritationis ſenſu.

In ILEO, praeſertim ſi irritatio ſuperet obſtructionem; ſi contra, purgans praemittendum, in *inflammatione* vero inteſtinorum, magis fugienda.

INFLAMMATIONE omni, urgente ſumma neceſſitate, cum omni cautela.

INFLAMMATIONE *inteſtinorum*, dolore urgente, appropriatis miſcenda *anodyna*.

ISCHURIA *veſicali*, ſi ex ſphincteris ſuppreſſione, volatilia *OPIATIS* mixta, convenire poſſunt.

LIPOTHYMIA & SYNCOPE,

ex

ex ſpirituum nimia diſſipatione, vel eorum, in impetus convulſivos, pronitate, ſed parva doſi, acidis ſaepe ſociata.

In MANIA, *OPIATA* conveniunt, ad ſpirituum motum mitigandum, excellere videntur, ſulphurea mineralia *anodyna.*

In MENSTRUORUM *fluxu nimio*, *OPIATA* ſiſtunt utplurimum, inter quae bona, diaſcordium cum vehiculo acido.

In MICTU *cruento*, eſt electuarium Haelidaei Paduani laudatum quibusdam.

In MORBILLIS & *Variolis.* Vide in *Variolis.*

In ODONTALGIA, ex laudano, *OPIATA* (praemiſſis vero tutius univerſalibus) interdum optima.

In PHRENITIDE, ſaepius etiam, debito cum moderamine, convenire poſſunt.

In PHTHISI, *OPIATA* valde conducunt, & quidem larga doſi.

In

In PLEURITIDE & *Peripneumonia*, ad doloris ferociam compeſcendam, in principio, ex papavere rhoead. conducunt.

In RAUCEDINE *recenti*, à cauſa externa, *OPIATA*, cum lenientibus & temperantibus irritationem & profluvium lymphae ſiſtunt; item a cauſa interna, praemiſſis, ſi opus fuerit, purgantibus.

In SATYRIASI, *OPIUM*, v.g. cum camphora & aceto rutaceo, ſaepius uſurpanda.

In SINGULTU, ad irritationem & ſpaſmum ſiſtendum, quandoque optima, praeſertim appropriatis mixta.

In STERNUTATIONE nimia, odor *OPII*, vel oleum roſarum, *OPIO* impraegnatum, maximi uſus eſſe conſtat.

In SEMINIS nimis cita *ejaculatione*, *OPIATA* conveniunt, ſi nempe vitium, ex nimia ſpirituum agilitate, & turgeſcentia ſeminis.

In TENESMO, ad ſpasmodicam vellicationem ſiſtendam, praeſertim vero, ſi ex conſenſu.

In TUSSI *ferina*, & ſudoribus nocturnis tabidorum, ad mitigandum & cohibendum, optima ſunt *OPIATA.*

In TUSSI *humida*, ab acri vellicante, ad irritationis ſenſum; in *pectorali* autem, nonniſi poſt potionis mucilaginis evacuationem.

In STOMACHALI *ſicca ferina*, conveniunt apprime, aut ejus loco temperata, praemiſſo vomitorio.

In VARIOLIS & *Morbillis* perquam proficua eſſe poſſunt, in ſpecie veſperi, adhibita debita cautela, non enim oportet facile, in his & ſimilibus morbis periculoſis, ad *NARCOTICA* feſtinare fortiora.


In VERTIGINE, *OPIATA*, antiépilepticis ſociata, laudanda.

In VESICAE *inflammatione* & ulcere ſubſequente, *anodyna*, pro exigentia rei, & doloris ferocitate uſurpari poſſunt.

In

n VOMITU *nimio*, praesertim, causa in stomacho, & pylori vel superioris orificii nimia sensibilitate existente, *OPIATA* maxime prosunt.

Tandem, *OPIATA* fortiora, omni cum prudentia adhiberi debent. In omni dolore, *SOPORIFERA* summa remedia; quo sunt fortiora, eo cautius: nec minus, in spirituum nimia agitatione. In adultis, tutior, in infantibus, periculosior usus. *malum* plerumque insensile reddunt *OPIATA*, non semper tollunt.



PARS VIII.

MORBI

Quibus VESICATORIA &c. conveniunt.

In APOPLEXIA, PARAPLEGIA & *ſimilibus*, haec irritamenta, maximi uſus.

In ARTHRITIDE & PODAGRA, *VESICATORIA* ex cantharidibus, tam curative quam praeſervative, convenire poſſunt.

In ASTHMATE *convulſivo*, *VESICATORIA*, ſcapulis aut brachiis applicata, ſubinde multum opis praeſtant.

In CATARRHIS *contumacioribus*, & fere

fere incorrigibilibus, *FONTICULI* & hinc *VESICATORIA*, ad seri evacuationem saepe adhibentur.

In CEPHALALGIA *pertinaciori*, ubi malum, ex sero sanguinis, saepe optima sunt *VESICATORIA*, *SETACEA*, praemissis rite universalibus. Ita & ipsum *Trepanum* quandoque institutum fuisse, maximo cum successu, constat.

In DOLORIBUS in *genere*, pro ratione circumstantiarum, *VESICATORIA* &c. convenire possunt.

In FEBRIBUS *intermittentibus*, carpis manuum applicata saepe conveniunt, idque die intermissionis.

In FEBRIBUS *malignis*, ex cantharidibus &c. sunt egregia, idque imprimis in principio status, ubi *cephalalgiae* nimiae, *deliria*, *convulsiones* &c. imminent, ad derivandum; item, quando interiora uruntur, extrema vero frigent, item,

ubi Natura aliquam excretionem molitur, erumpentibus hinc inde maculis, aut iisdem retrocedentibus, in tali casu, optime cruribus, ad pedum plantas, supra vel infra genu, vel brachiis, prope carpos, aut prope axillas, etiam circa nucham (sed hoc vix, nisi in *soporosis affectibus*) applicantur, utendo, vel cantharibus, vel sinapi, raphanis acrioribus, cum fermento, aceto, similive compositis.

In FEBRE *petechiali* maxime conveniunt, praesertim quando retrocesserint maculae, ut & in *Variolis* & *Morbillis*; sic in *Peste*, optima esse compertum.

In HAEMORRHOIDUM *fluxu* & *dolore habituali*, *FONTICULUS* in tibia optimus, & maximi usus quandoque.

In OPHTHALMIA saepe proficua, idque in nucha praecipue, & hinc pone aures posita.

n PODAGRA, uti dictum in *Arthritide.*

n SOPOROSIS *affectibus*, *VESICATORIA*, *sternutatoria* & similia, non incongrua.

n VARIOLIS & MORBILLIS, si retrocesserint, aut aegre erumpant, bona.

UNIVERSALITER, *VESICATORIA*, *FONTICULI*, *SETACEA*, stimulantia, irritantia, avellentia & derivantia, dicenda cum sint, electio, applicatio & usus, sponte patent.





P A R S IX.

M O R B I

Quibus PTYALISMUS *prodest.*

In APHONIA, maxime per *MASTICATORIA*, vel similia.

In FLUORE *gallico mulierum*, cum successu convenit, ex melle, aloë, mercurio dulci, decocto guajaci, vel lignorum, & vaporum, *SALIVAM* per os derivantium, cum regimine.

In LUE *Venerea*, appropriate convenit, antecedenti paragrapho, recensitus, cum variis specificis, pro re nata, in debita dosi, cum spectantibus adminiculis & cautelis.

In

n PARALYSI *privativa*, ex cauſis externis, praeſertim, ex metaſtaſi materiae morbificae, in malo contumaciori, *SALIVATIO* convenire poteſt.

n OSSIUM *morbis variis*, per mercurium dulcem, vel guajacum.

n VARIIS *glandularum morbis* &c. glandulas obſtruentibus, materia viſcida irreſolubili, ordinariis remediis non cedente.

n VULNERIBUS *profundis*, externe quidem curatis, ubi in muſculis, vel profundae tunicae adipoſae, immo & perioſteum laborant, atque peccante irreſolubili materia replentur, dicta maxime, vel nihil, juvant.

JLTIMO, cum nullum univerſalius reſolvens, Mercurio dulci, (vel aliquo modo, decocto Guajaci) ſit inventum, cujus uſu omnes humores, immo & quaevis glutinoſa inſtar Lymphae exſpuuntur, hinc in & poſt mercurii uſum, debite renovatur, applicatione eſ-

culentorum blandiſſimorum, aeger; ac, ſi ſolida nondum ſunt corrupta, novus reſtituitur. Quamobrem, ſi cunctis cedere remediis, denegat Natura, tamen, his vinci, vel nullis, obſervamus.

PTARMICA, SUFFITUS & *ſimilia* rarius uſum habentia, nec in noſtro ſenſu adnumerantur univerſalibus, ad opus contrahendum, omittuntur: unicuique ſemper licet, quae deficere putat, addere & defectum ſupplere; enumerandae enim alias forent, Curae ſpeciales omnes. Haec hinc inde ſufficere, nullus dubito.

EPI-

EPILOGUS.

En, opus abſolutum: in quo, quae ab Hippocrate, Galeno, Avicenna, Sydenham, Sennerto, Sylvio, Piſone, Riolano, Bellino, P. Alpino, Riverio, Rolfincio, Ettmullero, Freind, Doleo, Drelincurtio, Dekkers, Hoffmann, Stahl, Boerhaave, de Gorter, aliisque ſummis, in *Praxi*, luminaribus, didici, legi, colligere, contrahere & in exiguo faſciculo includere, tentavi. Pauca addidi admodum, honos debetur, praefatis & plurimis, tantae experientiae ac authoritatis Viris. Quandoquidem, non unius, aut mille hominum eſt, tanta obſervare & detegere, illis, me imparem, multisque paraſangis inferiorem eſſe ſentio: quamobrem, hos ulterius conſulendos, ſuadeo, ac conſulo; meque unius ejusdem veſtigia, ubi-

ubique premere, non aſſentio. REMEDIA, quae pauciſſima admodum largitus fui, in horum monumentis, uberrime & largiſſime detegenda. Dicam oportet, me, de remediis, minus ſemper ſolicitum fuiſſe, quam de *cauſis Morborum*, ex certis phaenomenis cognoſcendis, non neglectis coindicantibus: his enim *cognitis* atque *indicatis*, *remedia* praeſto ſunt. Magnum, credite, Medici hoc eſt arcanum, & maximi in Praxi moliminis: *Morbum* bene perſpectum habere; ipſius *cauſam* reſolutam ac notam; quid *faciendum* notum: quo ſimplicius eo melius, gaudet dives & perſpicax Natura maxima ſimplicitate. Sequamur tantum Naturam ducem & non errabimus. Datis vero dictis, pharmaca undique affluent, atque quiſque Praxi dicatus, facile ſibi catalogum medicamentorum & formularum formabit.

Odi, veruntamen dicam oportet, in morbis curandis, certum quoddam, formularum memoriae mandatum ſyntagma.

tagma. Nihil pene exitialius, empiricorum praxi nudâ, arti accidere poſſe, omnis ſincerus Artifex morbi agnoſcet. ex. gr. Pro dolore ventris, recipe ſpir. aniſi duplicat., cort. aurantior.: ſp. cornu cervi, pro capitis dolore, ſpir. ſal. armoniaci odorem, ſimilesve, funeſti eventus quam ſaepiſſime praeſcriptiones, ab ignaris verae ſcientiae Medicae, cum intolerabili hiſtrionum jactantia, ventilatae. Hinc tantae lachrymae!

Nec minus illis grandiloquis, in hirundinum muſeo edoctis, os obturandum cenſeo, penes quos eſt, praeſentia omnia aeque ac futura, ex ſola Urinae inſpectione, certo certius velle indicare: Quandoquidem etenim, & ipſum experimentum, magnopere ſit ſaepius fallax, quanto magis judicium erit difficile. Plurima nos poſſe inde, cum certitudine evidenter colligere, non obloquor, id ipſe etenim comprobavi, in hoc opere: non vero omnia aeque ſunt certa; immo, in maximis

ſaepe caecutimus & rudes ſumus. Non juvat hic, glorioſius plurima, de ſe ipſo praedicare, garrire multa, ac gaſtromantiam introducere, nulli ſalutarem. Hic Rhodus, hic ſaltus: parum dicere multum probare oportet; atque verecundus eſſe in ſecuritate danda nimia, infirmitatis humanae ſuae conſcius.

Natus homo de muliere, multis miſeriis, anxietatibus atque debilitatibus, licet tantis elationibus ſuperbiat, premitur. Veruntamen conceſſit ſummus rerum Arbiter, unicuique malo medelam ſuam, ac voluit, homines plurimum proſint bona voluntate, immo & obſint inſcitia ſua, hominibus. Ipſe creavit Medicum, & e terris Medicamenta; vir bonus igitur ac ſapiens, minime contemnere ea debet. Atque, quamvis perpauca ſubjecta habeantur poteſtati noſtrae, in re dubia, probabiliorem arripere ſententiam, nihil vetat, & ea medicamenta adhibere, unde, magnas utilitates nos adipiſci, quàm ſaepiſſime experti fuimus.

Quan-

Quandoquidem igitur, haec ita esse, compertum sit, ne dicat quis, sine Medici adjumento peritioris ac prudentioris, multas felices curas efficere quendam potuisse: nihilominus ne credat ullus, calamitates hominum, sublatas iri, sola prudentia humana; altioris indaginis utique hanc rem esse, assero.

Adhuc semel, universalem revelatam esse & detectam medicinam, nego, specialem vero, absolute talem, paucam admodnm agnosco: sic dicta specifica, omnibus accepta, ad depellendum morbum, esse ejicienda, minime concedo; tantum abest, ut potius impellerem artis filios, esse potius debito tempore ac loco adhibenda, atque in opem revocanda. Obtinet eheu! nimium in arte Phoebea: tentasse non nocet; sit modo pro viribus ex corde toto, ad summi Numinis, Medicorum & medicaminum directoris unici, authoris Naturae

turae gloriam, proximi emolumentum, propriamque ſalutem: hic eſt veri [illegible]ndidi Medici ſcopus, atque

FINIS.



CATALOGUS

Librorum Medicorum,

Qui apud GERARDUM POTVLIET *impressi, vel majori copia venales habentur.*

Prosper. Alpini Historia Naturalis Aegypti, sive de Plantis Aegypti cum Observationibus & Notis J. Veslingii 4to 2 vol. cum mult. fig.

—— Idem Ch. Max.

—— Medicina Methodica 4to.

—— De Praesagienda Vita & Morte 4to.

F. Hoffmanni Opera omnia Medica Practica 6 vol. Fol.

S. Coulet de Ascaridibus & Lumbrico lato, 8vo cum fig.

C. Pisonis Observationum & Consiliorum de Morbi Affectibus cum Praefat. H. Boerhaave 4to.

N. Pisonis de Cognoscendis & Curandis Morbis 2 vol. 4to.

H. Boerhaave Elementa Chemiae cum Opusculis omnibus Lugd. Bat. 2 vol. 4to.

J. M. Lancisii de Motu Cordis & Aneurismatibus, cum fig. 4to.

J. Sanctorini Observationes Anatomicae Opt. edit. cum fig. 4to.

G. Ballonii Opera omnia 4 vol. 4to.

A. M. Valsalva de Aure Humana cum fig. 4to.

J. H. Schulzii Historia Medicinae 4to.

B. Bianchi Historia Hepatica 2 vol. cum fig. 4to.

Dureti Comment. in Coacas Hippocratis, curante A Peleryn Chrouet, edit. Opt. fol.

M. Ettmulleri Opera omnia Medica Theorico-practica 4 vol. fol. edit. opt.
L. Riverii Opera omnia Medica edit. opt. fol.
Prosper Martianus in Hippocratem.
Aretaei Cappadocis Gr. & lat. curante H. Boerhaave.
H. Fabritii ab Aquapendente Opera Chirurgica cum fig. fol.
——— Opera omnia Anatomica & Physiologica cum fig. fol.
Clerici Historia Latorum Lumbricorum, cum fig. 4to.
D. L. Heisteri Institutiones Chirurgicae, cum fig. 2 vol. 4to.
C. Magati de Rara Medicatione Vulnerum 2 vol. 4to.
C. Hoffmanni de Medicamentis Officinalibus 4to.
F. Hoffmanni Consultationes & Responsiones Medicinalium 2 vol. 4to.
——— Pathologia Medico-practica.
Baglivii Opera omnia Medico-practic. 4to.
Memoires de l'Academe Royale des Sciences, contenant les Ouvrages Adopt, 6 vol. avec fig. 4to.
Histoire de la Medicine par D. le Clerc 4to.
T. Sydenham Opera omnia & Musgrave de Arthritide 2 vol. 4to.
J. B. Helmontii Opera omnia 4to.
R. Morton Opera omnia & Harris de Morbis Infantum, Cole de Secretione Animali, Lister de Morbis Chronicis, Sydenham Processus integri 2 vol. 4to.
J. H. Degneri de Turfis Hollandiae 8vo.
——— de Dysenteria 8vo.
La Chirurgie complete par de la Motte 4 vol. 8vo.
Pharmacopoea Londinensis 8vo.
Holleri in Aphorismos Hippocratis 8vo.
J. Hovii de Oculo & Thebesii de Circulo Sanguinis in Corde cum fig. 8vo.
J. J. Wepfferi Cicutae Aquaticae cum fig. 8vo.

P.

P. Morelli Methodus Præſcribendi. 8.
Traité des Maladies des Yeux, par Saynt Yves. 8.
Peyeri Parerga Anatomica & Obſervatio circa Urachum, cum ſig. 8vo.
C. Havers de Offibus & Heyne tentamina Chirurgica, cum ſig. 8vo.
N. Tulpii Obſervationes Medicinæ. 8vo.
J. Lommi Obſervationes. 8vo.
-- ——— de Febribus.
-- ——— de Sanitate Tuenda.
F. Hoffmanni Medicus Politicus. 8vo.
Hecquet Novus Medicinæ Conſpectus. 2 vol. 8vo.
——— *Traité de la Peſte.*
T. J. Leenhof Enchiridium Medico-Practicum. 8vo.
R. Lower de Corde, de Motu, Colore & Transfuſione ſanguinis. cum fig. 8vo.
J. Allen Synopſis Univerſa Medicinæ practicæ. 8vo.
J. Berengarii de Fractura Cranii. cum fig
F. Hoffmanni Opuſcula Phyſico Medica. 2. vol. 8.
- ——— Conſultationes & Reſponſio 3. vol. 8vo.
La Maniere d'Amolir les Os, par Papin. avec fig.
Pathologie du Chirurgie, par Verduc, 2. *vol.* 8.
Schelhamer de Nitro. 8vo.
Bartholini Anatomia & Wallæus de Motu Chyli, cum fig. 8vo.
Operations de Chirurgie, par Dionis. 8. *avec fig.*
T. Bartholini Epiſtolæ Centuria Medicinalium centuriæ IV. 6. vol.
. Douglas Bibliographia Anatomica. 8vo.
——— Deſcriptio Muſculorum. 8vo.
——— Deſcriptio Peritonæi. 8vo.
D. W. Trilleri de Pleuritide. 8vo.
. Pontederae Anthologica accedunt ejusdem Diſſertationes XI. 4to.